
F.M. ANTONIJ CAPPELLI FRANCISCANI CONUENTUALIS DE COENA CHRISTI...

Antonio Cappelli, Giovanni Battista Coccini




NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
8
21 — K
23

F. M.

ANTONII CAPPELLI


FRANCISCANI CONVENTVALIS

De Cœna Chriſti ſuprema, deque præcipuis vitæ eius capitibus

DISSERTATIO

aduerſus Ægyptium authorem anni primitiui.






PARISIIS,
Apud C. MORELLVM, Typographum Regium, via Iacobæa ſub ſigno Fontis.

M. DC. XXV.

CVM APPROBATIONIBVS.



ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO D. LVDOVICO S. R. E. CARDINALI DE LA VALLETTE.

Fr. M. ANTONIVS CAPPELLVS.

DIVINO ſanè conſilio, ſicuti cetera omnia, ita hoc in primis ſacroſancta conſtituit Eccleſia, vt prauæ lectionis libri, qui aut falſam doctrinam ingerunt, aut bonis moribus officiunt, è Chriſtianorum manibus excutiantur, & quoad eius fieri poſſit, omnino aboleantur, atque euaneſcant: Nam cùm doctor gentium Apoſtolus congreſſu hæreticorum & colloquio (qui tamen hæretici è viuis tandem excedunt) tanquam peſtilenti nos contagio interdicat, multò certè periculoſiores eſſe conſtat prauos libros, qui & ſemper (vt

ſic dicam) loquuntur, neque adeo interitui ſunt obnoxij. Si vir ille, cuius ego opiniones de Cœna Chriſti ſuprema veritati ac rationi eſſe aduerſantes nunc venio patefactum, lectione abſtinuiſſet Scaligeriani operis de Emendatione temporum, aut cautionem ſaltem in eo legendo adhibuiſſet, quæ Catholicum hominem ac prudentem, ſagacemque veritatis indagatorẽ decebat, haud quaquam in eos prolapſus eſſet errores, quibus grande illud quod nuper emiſit volumen vndique ſcatere videmus. Magnum erat quidem Scaligeri ingeniũ, magna eruditio, variarumque cognitio linguarum, ſed nimia plerumque ſui confidentia, tanquam pleno quodam torrente abripi ſe adeo ſinebat, vt mirum non ſit, in complures illum ſcopulos infeliciter impegiſſe, iiſque (vt iſtiuſmodi ingenia ſolent) pertinaciter hæſiſſe. Ad eoſdem fermè, aut non abſimiles lapides noſter hic offendit, quẽ ego bono (ni fallor) Chriſtianæ Reip. & Catholicæ veritatis caſtigandum ſuſcepi: Ac ſanè diuinæ prouidentiæ munere perſæpe fit, vt quã errorum ſementem hominum ſiue inſcitia, ſeu peruerſa voluntas iacere temerè ſolet, ea

in segetem erumpat pulcherrimæ veritatis: Ni auctor hic noster sacrorum temporum rationes ad obliquam fallacémque suarum opinionum amussim ac libellam exigere tentasset, séque solum veritati litasse superciliosa quadam iactãtia, & veluti è tripode pronunciasset, nulla fortasse data nobis esset occasio res huiusmodi excutiendi, & quæ à multis retro sęculis densissima in caligine iacuerunt, in apertam clarãque (vt equidem spero) lucem eruendi. Qua in re num aliquid præstiterim, tuũ Cardinalis amplissime, tuíque similium, id est doctissimorum, veręque pietatis amantium hominũ erit iudicium: Quippe ob eam potissimum causam lucubrationem hanc tibi meam nuncupandam duxi. Adde, quòd cùm ego te Romæ nouerim sacræ istius purpuræ honorem non egregiè tantùm sustinentem, sed & tuarum virtutum splendore mirifice ornantem, adeo te amare cœpi, adeo colere ac venerari, vt cogitatione vix complecti, ne dum verbis explicare id posśim. Videbam te ex nobilisśima gente ortum, cùm ad Ecclesiasticam viuendi rationem animum adiecisses, non Christianis solùm virtutibus,

ſed & liberaliũ artium præſidiis animum inſtruxiſſe:in diuinis præſertim litteris,& ſacris Theologiæ ſtudiis eos feciſſe profectus, vt omnibus propemodum ſis admirationi: pulchrè nimirum intelligebas, quid Eccleſiaſticum virum, quid Cardinalem præcipuè deceret. Quotus verò quiſque eſt, qui cùm hinc præſtantiſsimum patrem tuum, tuóſque maiores & animi & corporis robore egregiè munitos bellicæ virtutis laude præcipuè florere, hinc te ſumma ingenij vi ac felicitate prędítum in tot,tantíſque diſciplinis mirè excellere videat,non etiam facilè intelligat, veſtri hoc eſſe generis, vt quo quiſque gloriæ ſtudio ducatur, in eo principem locum ſibi vendicet? Neque verò dicendum quidquàm mihi eſt de eximia tua humanitate, de prudentia, de liberalitate, de animi cùm magnitudine tùm moderatione, de morum ac ſermonis ſuauitate, aliiſque virtutibus, quarum pulcherrimo nexu, velut aurea quadam catena, non aures tantùm hominum, vt veſtras ille Hercules, ſed animos ipſos delinitos ad te trahis: vt mirum non ſit, ſi tu Roma nuper abiens omnium propè noſtrum corda abdu-

xiſſe tecum videaris. Ego verò te quoque abeuntem è veſtigio proſequi ſperabã, auebam enim Gallias veſtras viſere in Cardinalis Barberini comitatu, qui Pontificius à latere Legatus ad vos proficiſcitur, quem ego Cardinalem cùm ob multa, quæ præclara in illo ſunt, mirari ſoleo, tùm præſertim quòd te ille ſummopere diligit, tuáſque virtutes & plurimi facit, & non ſine magna voluptate vbique prædicat. Verùm ea ſpe deſtitutus, meum hunc fœtum, qui iſtic excudatur, meáſque apud te partes impleat, ſitque non obſcurum meæ in te obſeruãtiæ argumẽtum, ſtatui mittendum, quem ſi tibi tanta doctrina, tàm acri iudicio præſtãti minime diſplicere cognouero, haud ſanè verebor, quin & à ceteris viris doctiſsimis, quibus præſertim Gallia abũdat, ſit facilè probandus, atque adeo in hac ſacrorum temporum, priſcarúmque Eccleſiæ traditionum diſcuſsione operam non infeliciter à me collocatam intelligam. Vale, Romæ, Idibus Martijs. M.D.CXXV.

INDEX CAPITVM.



OCCASIO SCRIBENDI ET CONSILIVM AVTHORIS.

1. RODIIT ante duos annos ex typis Augustę Vindelicorum ingens quoddam volumen inscriptum: *de anno primitiuo ab exordio mundi ad annum Julianum accommodato, & de sacrorum temporum ratione libri octo.* Materies, in qua summa vtilitas cum summa difficultate coniuncta est, nomen Authoris viri probi, & nuncupatio operis exemplo nunquam audito, tribus Principibus facta, Gregorio XV. Pont. Max. Ferdinando Imp. Augusto, & Iacobo Angliæ Regi, magnam eius expectationem peperêre. Sed vix lucem ei videre contigerat, cùm Apostolica authoritate proscriptum, ab vtero ad rogum raptum fuit. *Libri de anno Primitiuo Augustæ impressi.* *Dedicati tribus Principibus.* *Prohibiti.*

2. Hinc varia mortalium iudicia, sermones varij: Accusare alij hominis inuerecundiam, qui ea de suis scriptis Romano Pontifici polliceri non erubuerit, quæ solius sacræ scripturæ propria sunt, cuiusmodi ea fuêre; *Nulla falsitatis vmbra, nulla erroris suspicio, nulla vani similitudo potest in illo notari; Omne* *Capita accusationis.*

quod explicatur verum eſt, omne quod in illo adducitur certum eſt, omne, quod in illo exponitur, condecens eſt. Adijcere alij præſumptionem ſpiritus, cuius reuelationes apud Pontificem, apud Principes, totoque opere paſſim plenis buccis iactantur. Si enim ita eſt, dicebant iſti, taceant ergo Latini, Græcique omnes, à quibus ad hanc vſque diem Cœnam Chriſti ſupremam, Paſchalem fuiſſe creditum eſt, & Deo huic homini reuelante, diſcant, Eccleſiam vniuerſam labi poſſe. Faceſſant antiqua illa dogmata Eccleſiæ Romanæ de azymis, de diebus cœnæ, & mortis Saluatoris, quando, Deo iudice, & hoc homine teſte, à Græcis tota veritas ſtat. Qui aut Dominum natum Decembri, aut adoratum à Magis in Præſepi perſuaſi quique ſupremam mundi diem mortalibus ignoratam credidère, nunc demum huius manu deterſis tenebris videât, ad hanc vſque diem Eccleſiam nihil vidiſſe. Fuerunt etiam qui Caluinum, & Lutherum in eius libri veſtibulo vidiſſe ſe dicerent, & tanquam hæreſum omnium ſeminarium auerſarentur illud eius principium: *Contextus ſacer ab Auctoritate Doctorum non coarctatur, & validiſſimum veritatis argumentum in omni eius expoſitione eſt, cùm animus acquieſcit in ea ſic, vt nulla amplius difficultas reliqua ſit, quæ inde elonget ipſum.*

Hæc aliaque huiuſmodi ab iis eò vehementius exaggerabantur, quod peculiare eius inſtitutum fuiſſe dicerent, his aliiſque in rebus antiquas, & receptas Eccleſiæ Romanæ conſuetudines, & traditiones euertere, immo ipſis & Catholicæ fidei dogmatibus manus violentas inferre.

3. Contra memorare alij grandæuam eius ætatem, perpetuum ſtudium bene de Eccleſia vniuerſa merendi, peregrinationes ad Æthiopes, ad Indos, ad aliaſque remotiſſimas gentes hunc in finem ſponte, nec ſemel ſuſceptas, vitam laudabiliter ſemper, & innocenter actam. Mirari ingentem illam tabularum molem, quibus omnes luminarium ſyzygiæ ab exordio mundi ad ſextum millenarium oculis ſubiectæ ſunt; Cyclos eius lunares, temporum connexiones, & vincula, eruditionem hiſtoriæ, quâ ſacræ, quâ profanæ ad ſydera tollere, & quæ peccauerat extenuare, mollireque vehementer. *Capita defenſionis.*

4. Inter hæc ego contraria hominum ſtudia, Proximi vices dolenter audiebam, incredibilique flagrabam deſiderio librum eius videndi, quod perſuaderi vix poſſem, res eius eſſe loco adeo iniquo, vt nulla huic vulneri medela poſſet afferri. Sed voti compos effectus, Eccleſiæ iudicium vti è cœlo vere delapſum ſuſpexi. Quum enim libri illi tria rerum genera complectantur, Theologica, Aſtronomica, Chronologica: in Theologicis nihil ferme reperias, quod non inſigni aliqua labe aſperſum ſit: Aſtronomica ſæpe videas errare toto cœlo: in Chronologicis peccata innumera, nihil ſingulare. Quod igitur reliquum erat, à libro ad Authorem conuerſus, qui me ſuaſu cuiuſdam doctiſſimi iuxta ac piiſſimi viri conuenerat, ad eum inſtruendum animum totum adieci. *Cenſura Authoris.*

5. Et quum in multis grauiter, tum præſertim in eo mihi grauiſſime lapſus videretur, quod Cœnam *Conſilium in hac ſcriptione.*

Christi ſupremam negaret fuiſſe Paſchalem, de hoc capite ante alia cum eo diſceptare conſtitui. Idque hoc opuſculo feci, quo, ſi audiat, fratrem lucrifactum, ſin minus matrem ſaltem non male defenſam iri confido. Nomini authoris peperci, quod in hac ſcriptione charitas eam mihi dixerit legem quam Medicorum princeps corpora curaturis, vt vel proſint, vel ne noceant. Ægyptium nuncupaui, quòd id cognominis ſibi vendicauerit ipſe ob res, vt ait, aliquando in Ægypto feliciter geſtas.

STATVS CONTROVERSIÆ, & argumenta Ægyptij contra Cœnam Paſchalem.

CAP. I.

De ſuprema hebdomada vita Christi alia certa, alia controuerſa.

1. EORVM, quæ de ſuprema hebdomada vitæ Chriſti ſacrarum litterarum monumentis prodita ſunt, alia adeo apertè, & explicatè dicta ab Euangeliſtis fuêre, vt de illis inter Catholicos à nemine hactenus dubitatum ſit. Alia contrà quibuſdam ſeu rerum, ſeu verborum inuolucris ſic implicata, vt quanquam ſumma ingenia à multis retro ſæculis omne ſtudium, & operam ad eorum explicationem contulerint, adhuc nihilominus Eccleſia ſalua communione, & pace, de illis vtramque in partem diſceptari patiatur.

Certa.

2. Prioris generis ſunt, Tiberio imperante, menſe primo anni ſacri, quem Hebræi appellant Niſan, feria quinta poſt Veſperam cœnaſſe Chriſtum, &

celebrasse Pascha; nocte insequenti proditum, & captum; feria sexta mane Cruci affixum, & mortuum; in vespera sepultum, Die Dominico surrexisse. Posterioris, an xiij, an xiv mensis cœnatum sit? an sacramentum Eucharistiæ institutum fuerit in azymo, an in fermentato? quo mense Romanorum, Martio, an Aprili? quo eius mensis die? quo anno ætatis suæ? quo Tiberij? quo Olympico Christus crucem subierit, aliaque id genus. De duobus tamen primis capitibus huius secundi generis, quæ Eucharistiam attinent, omnino conuenit inter Latinos, cum Græcis tantum à septingentis annis litigatur, illis pro xiij. & fermentato, nostris pro xiv. & Azymis decertantibus. Cuius controuersiæ fundamenta sunt hæc.

Controuersia.

Azymorum controuersia inter Latinos & Græcos.

3. Pascha Hebræorum diffinitur diebus octo, hoc est à vespera diei xiv. mensis primi ad vesperam xxj. quas in Kalendariis suis ita describunt.

XIV	Pascha exterminatio fermenti	XIIX.
XV	Azyma	XIX.
XVI	Manipulus Frugum	XX.
XVII.		XXI solemnitas finis Azymorum.

Itaque tertia decima dies nihil ad Azyma. Quarta decima immolabatur Pascha, quod erat agnus anniculus, & exterminabatur fermentum. Quinta decima erat azymorum prima; vigesima prima erat septima, & vltima azymorum.

4. De die Cœnæ supremæ dissimiliter loqui videntur Euangelistæ. Matthæus, *Primam diem azymorum* appellat. Marcus, *Primam diem azymorum*,

Testimonia scripturæ pro Latinis.

quando Pascha immolabant, Lucas, *diem azymorum*, *in qua necesse erat occidi Pascha*. At sanctus Ioannes loquens de ablutione pedum, quæ post illam cœnam facta est, ab aliis dissentire videtur, eam enim accidisse scribit, *ante diem festum Paschæ* & mane feriæ sextæ de Iudæis dicit: *Non introierunt in Prætorium, ne contaminarentur, sed manducarent Pascha* & eandem semel, iterum, tertio, diem, quo Christus condemnatus, mortuus, & sepultus est, appellat *Parasceuem Paschæ*, hoc est diem præparatorium ad solemnitatem Paschæ, die proximo celebrandam. Quare ex testimoniis Ioannis, dies Paschæ fuisse videtur illa ipsa die, qua Christus passus est, & prima Azymorum postridie, ex reliquorum trium Pascha die, qua cœnauit, prima azymorum postridie si Pascha fuisset feria sexta, Christus forte non consecrasset in azymo, quia Pascha celebratur XIV. mensis, & Prima Azymorum XV. ipse vero feria sexta, hora nona spiritum emiserat. At si feria V. fuisset XIV. mensis, & Paschalis, necessariò consecrasset in azymo, quia à vespera XIV. Hebræi fermentum domi retinere non poterant.

Testimonia pro Græcis.

5. Nostra igitur vnius, Græcorum sententia trium Euangelistarum testimoniis implicatur, quæ quum explicare nonnulli non valerent, impie absciderunt, non veriti dicere, vt testantur S. Bonauentura, & S. Thomas, tres Euangelistas, quorum authoritate Latini nituntur, hallucinatos esse, emendatos ideo à Ioanne, qui scripsit posterior. Verùm modestiores aliter respondent, Pascha nimirum anteuerti potuisse, & anno illo anteuersum à Christo fuisse, à Christo

Græcorum hæreticorũ.

Quid modestiores respõdeant.

celebratum die XIII. menſis à Iudæis XIV. à feria V. à Iudæis VI. & conſequenter à Chriſto in fermentato, à Iudæis in Azymo. At iſtos etiam lex vrget qua Num. c. 9. cautum eſt, ne Paſcha die alia celebretur, quam XIV. menſis primi, & qui non poſſet primi, differret ad XIV. ſecundi qui alterutra die non celebraret, capite plecteretur. Quare differre menſem integrum licebat, anticipare ne vnam diem quidem. Adde Euangeliſtas tres aperte dicentes, Paſcha celebratum à Chriſto *prima Azymorum, quando Paſcha immolabant, & quando neceſſe erat occidi Paſcha;* neque ergo ante diem lege præſcriptam, neque alio tempore, quàm à cæteris. *Refelluntur.*

6. Cæterum noſtra quoque ſententia has habet difficultates non faciles explicatu, 1° quid eſſet illud Paſcha Ioannis, quod fuit feria VI. 2° quid illud, in cuius paraſceue Dominus Cruci affixus eſt. 3. quomodo Hebræi accuſare, & condemnare potuerint Chriſtum, agereque illum in Crucem die feſto, quum pridie id ne fieret decreuiſſent, ne fortè tumultus excitaretur in populo. Eò maxime quod tanta feſtorum religione tangebantur, vt piaculum exiſtimarent, ſi mortuorum remanerent in Cruce corpora ſabbato. Hinc ad Hebræorum traditiones plerique conuerſi, de transferendo feſto azymorum in ſabbatum, ſi occurreret feria ſexta, ne duo feſti dies continuo celebrarentur, ſicut eo anno contigerat, multa commenti ſunt. Quo caſu autumant alij, transferri cõſueuiſſe & feſtum, & azyma; alij contra feſtum, ſed non azyma; & tandem ab eruditis quibuſdam duplex XIV. & XV. excogitata

Difficultates in Latinorũ ſententia.

Quorũdam opinio de tranſlatione feſtorũ ſtante templo.

est, vna ex Astronomico luminarium congressu, altera ex Cyclo erratico Hebræorum; primam celebratam à Christo, fuisseque illam feria eius hebdomadæ quinta, alteram feria sexta quam celebrarunt Hebræi. Sed hæc omnia facilius est asserere, quam probare, vnoque Marci testimonio refutantur, qui discipulos Hierosolyma paratum Christo Pascha missos dicit, *prima die azymorum, quando Hebræi Pascha immolabant.*

Refutatur.

Ægyptij error contra Ecclesiam Latinam.

7. Ægyptius vero noster litem tot sæculis agitatam noua tandem lite diremit. Græcis contra Latinos concessit, Pascha fuisse quidem Feria sexta, & azyma Sabbato, & ideo Christum non consecrasse in azymo; Sed contra Græcos perinde ac contra Latinos negauit, agnum occisum, & manducatum à Christo, quem crucifixum, & mortuum fuisse contendit ea vespera, qua ex lege Pascha celebrandum erat. Idque his argumentis persuadere conatur.

Et contra totam Ecclesiam.

Eius argumenta.

„ Christus mortuus est anno trigesimoquarto completo (quod ipse prolixe disputat) & trigesimoquinto per quinque dies inchoato ætatis suæ, qui fuit Olympiadis CCII. quartus, & imperij Tiberij Cæsaris XIX. dum Consulatum gererent Ser. Sulpitius Galba, & L. Cornelius Sylla. At anno illo prima dies mensis Nisan fuit Sabbato, vt ex eius tabulis constat. Ergo quartadecima fuit dies Veneris, & quintadecima Sabbato. Conuenit vero inter omnes Christum cœnasse Feria quinta, & mortuum sexta, circa horam nonam; restat igitur, eum non manducasse Pascha, quum Pascha iugulandum non esset, nisi eo ipso tempore, quo depo-

situs

ſitus fuit de cruce, & tumulatus. »

8. Cœnaſſe quidem Chriſtum quinta feria fate- »
tur, at negat, Cœnam illam fuiſſe Paſchalem; Cœna »
nimirum Paſchali Hebræi accingebant ſibi renes, »
ſtabantque calceati pedibus, baculos geſtantes in »
manibus, & comedebant feſtinanter. At in Cœna »
Chriſti ſedent, lauant pedes, interruptam Cœnam »
ea lotione repetunt, eamque prolixis ſermonibus »
protrahunt in multam noctem; non ergo hæc Cœ- »
na fuit Cœna Paſchalis; eoque maxime quod in cœ- »
na Paſchali nihil coctum aqua reperiri poterat, nec »
ius, quo madidum quid fieri poſſet, habebat tamen »
Chriſtus catinum in menſa, in quo ipſe cum diſci- »
pulis panem intingebat. »

9. Et tandem Agnus Paſchalis ex lege alibi non poterat immolari, & manducari, quam Hieroſolymis, Cœnam tamen Chriſti Hieroſolymis factam non fuiſſe, probat hunc in modum.

Domus in qua Paſcha Chriſto præparatum fue- »
rat, erat nobilis cuiuſdam viri, quod hominum ge- »
nus in partibus inſignibus Vrbium degere ſolent, & »
fortaſſe illa erat prope templum, & in centro Hie- »
ruſalem. Emetiendum ideo erat multum itineris à »
domo ad portas Vrbis, & multo plus ad vadum tor- »
rentis Cedron, qui longe ab vrbe diſtabat. Cœna »
Chriſti ex eius ſermonibus in longum producta, »
maiorem eius noctis partem conſumpſerat, quare ſi »
illi à cœna egrediendum fuiſſet ex Vrbe, tanta eiuſ- »
dem noctis pars præteriiſſet, vt ante lucem omnino »
impoſſibile fuerit ea geri, quæ ab Euangeliſtis ge- »
ſta narrantur. *Quonammodo enim*, inquit, *egredi potue-* »

» *runt & extra mœnia in tam distantem regionem abire? &*
» *tamen oppidula paruula, non præcipuæ ipsæ tantum Vrbes,*
» *obserata tenentur, Vltra torrentem progredi? ad hortum per-*
» *tingere? Seorsum ipse se retrahere, & tribus vicibus orare*
» *prolixius? capi? & ad ciuitatem iterum duci? ad Annam præ-*
» *sentari? ibi, quæ narrantur subsequi? mitti ad Caypham?*
» *cum vniuersis, quæ ibi commemorantur?* Ac tandem con-
» cludit; *rebus his singulis consideratis, & cum vniuersis simul*
» *positis, quarum si vna superatur, non tamen superantur om-*
» *nes, & inconuenientia multa perspiciuntur, quæ subterfugere*
» *non est possibile, vel euitare.* Hactenus Ægyptius.

10. Fatetur quidem ille, id opinionis pugnare cum communi Catholicorum Scriptorum, immo etiam cum sensu Ecclesiæ Romanæ, quem suis ipsa ritibus declarat, dum in Missa Corporis Christi fidelibus occinit carmina illa.

Noctis recolitur cœna nouissima,
Qua Christus creditur, agnum & azyma
Dedisse fratribus, iuxta legitima
Priscis indulta Patribus.

Sed negat, Scripturam sacram sibi refragari. *Quod Dominus vltimam Cœnam,* inquit, *intra Ciuitatem egerit, & quod agnum illum manducauerit, Euangelistæ non dicunt, & verba eorum id non admittunt, & neutrum illorum concedi potest.*

Quæ contra Ægyptium probanda.

11. Ego vero tria demonstranda suscipio. 1. Christum egisse Cœnam suam supremam in Vrbe Hierusalem, eamque vere fuisse Paschalem. 2. ex Euangeliis hoc adeo certum, & exploratum esse, vt non possit citra stuporem negari. 3. Argumenta huius Auctoris, esse leuissimas & vanissimas coniecturas.

Cœnam Christi supremam fuisse Paschalem.

Cap. II.

1. CAVTVM lege erat, vt quotannis in Paschate omnes Israëlitæ templo sisterent se, intra mœnia Vrbis sanctæ agnum immolaturi. Deut. 16. 16. *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum in conspectu Domini Dei sui, in loco, quem elegerit: in solemnitate azymorum, & in solemnitate hebdomadarũ, & in solemnitate tabernaculorum:* Quid eis agendum esset prima vice, sanxerat eod. cap. ver. 5. *Non poteris immolare Phase in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi, sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi, immolabis Phase vespere, ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.* Quare Lucæ 2. *Ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solemni Paschæ.* Quod institutum Saluator, qui non venerat legem soluere, sed adimplere, quamdiu mortalis vixit, sancte retinuit. Ideo XIV. die mensis Nisan eius anni, qui illi fuit huius vitæ supremus, eo potissimum tempore, quo Hebræi Paschales hostias immolare solebant, duos è discipulis suis in Vrbem misit Paschale epulum paraturos. Hinc Matthæus c. 28.17. *Primo autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes, vbi vis paremus tibi comedere Pascha? At Iesus dixit, ite in Ciuitatem ad quendam, & dicite ei, Magister dicit. Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis, & fecerunt discipuli, sicut constituit illis Iesus, & parauerunt Pascha. Vespere autem facto discumbebat cum discipulis suis.*

Lex de celebrando Paschate Hierosolymis.

Quam Christus seruauit.

Testimonia Matthæi.

Marci. S. Marcus cap.14.1. *Erat autem Pascha, & azyma post biduum, & quærebant summi sacerdotes, & scribæ, quomodo eum dolo tenerent, & occiderent.* Et commate 12. *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli, quò vis eamus, & paremus tibi, vt manduces Pascha? & mittit duos ex discipulis suis, & dixit eis. Ite in Ciuitatem, & occurret vobis homo, lagenam aquæ baiulans, sequimini eum, & quocunque introierit, dicite Domino domus, quia Magister dicit, vbi est refectio mea, vbi Pascha cum discipulis meis manducem? & ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum, & illic parate nobis; & abierunt discipuli eius, & venerunt in Ciuitatem, & inuenerunt sicut dixerat illis, & parauerunt Pascha; vespere autem facto venit cum XII. & discumbentibus illis, & manducantibus, ait, &c.*

Lucæ. S.Lucas cap. 22. *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha, & mittit Petrum, & Ioannem dicens, euntes parate nobis Pascha, vt manducemus. At illi dixerunt, Vbi vis paremus tibi? & dixit ad eos. Ecce introeuntibus vobis in Ciuitatem, occurret vobis homo amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum, in quam intrat, & dicetis Patrifamilias domus, dicit tibi Magister, vbi est diuersorium, vbi Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate. Euntes autem inuenerunt, sicut dixit illis, & parauerunt Pascha; & cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo, & ait illis; desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.*

Hæc Euangelistæ tres de loco Cœnæ, quòd fuerit in vrbe, de die, quòd fuerit illa ipsa, qua immolabatur Pascha; de epulo, quòd fuerit Paschale, si enim

discipuli parant Magistro Pascha, si Dominus se facturum Pascha pollicetur, si Pascha præparato discumbit, si inter cœnandum dicit, vehementer se desiderasse manducare hoc Pascha, nisi aut Christus de se, aut Euangelistæ de Christo mentiantur, impossibile est, Cœnam illam non fuisse Paschalem.

2. Hæc testimonia sic eludit Ægyptius. Principio assumit ex tabulis suis, feria quinta fuisse diem XIII. & feria sexta diem XIV. mensis primi. Deinde XIV. habuisse vesperas duas, primam, quæ pars erat tredecimæ, secundam, quæ erat initium XV. & azymorum primæ. Tandem vesperam XIV. primam eam fuisse, qua Apostoli in Vrbem missi fuêre, quam dictam putat Pascha, & azymorum primam, quia inde incipiebat dies Paschæ, in cuius secunda vespera immolandus erat agnus, & azyma comedenda. Ad quam quum Christus non superuixerit, neque agnum manducare, neque Pascha celebrare potuisse, concludit. Hæc ille, recte, an secus, iam video. *Euasio Ægyptij.*

3. Pascha, vt Philoni placet, verbum Chaldaicum est, & significat transitum, & fuit nomen cuiusdam potissimæ solemnitatis Hebræorum, cuius hæc fuit origo. Qua nocte percussit Deus primogenita Ægypti, quod Pharao, neque motus prodigiis, neque fractus miseriis Hebræos liberos abire noluisset, omnes Israelitas iussit signare postes domorum suarum sanguine agni anniculi, quem die X. primi mensis domum adduci, & 14. ad Vesperam mactari, eaque nocte, qua primogenita interfectu- *Pascha quid.*

rus erat, assum igni, cum azymis, & lactucis agrestibus manducari præcepit, pollicitus fore, vt domos, quæ eius agni sanguine oblinitæ fuissent, percussor Angelus inoffensas præteriturus esset. Remque probauit euentus. Ne vero vllis vnquam temporibus tanti beneficij memoria interiret, ad vesperam eius diei, quæ fuit XIV. mensis Nisan, quotannis iisdem ritibus agnum iugulari, & per familias manducari, lata lege constituit, & tum diem illam à vespera, tum agnum istum Pascha nuncupari Exo. 12. 21. *Ite, inquit Moyses, tollētes animal per familias vestras, & immolate Phase.* Et vers. 27. *Dicetis victima transitus Domini est, quando transiuit super domos filiorum Israel in Ægypto percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans.* Et vers. 24. *Habebitisque hanc diem in monumentum, & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.* Quod si quis forte legitime impeditus, quartadecima die agnum sacrificare non posset, quid ei agendum esset, constituit Num. c. 9. *Homo, qui fuerit immundus super anima, siue in via procul in gente vestra, faciat Phase Domino in mense secundo, quarta decima die mensis ad vesperam. Cum azymis & lactucis agrestibus comedent illud; non relinquent ex eo quippiam vsque mane, & omnem ritum Phase obseruabunt. Si quis autem & mundus est, & in itinere non fuerit, & tamen non fecerit Phase, exterminabitur anima illius de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo.*

Duob⁹ tantū diebus poterat celebrari, 14. primi, & 14. secundi.

Primogenitis Ægyptiorum nocte illa interfectis, Hebræis data venia est abeundi quo vellent, illique statim, relicta Ægypto transierunt in Soc-

coth. Num. 33. 3. *Profecti igitur de Ramesse mense primo, quintadecima mensis primi, fecerunt altera die Phase filij Israel in manu excelsa, videntibus cunctis Ægyptijs, & sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus, castrametati sunt in Soccoth.* Quò postquam ventum est, azymos panes comedere coacti sunt, pulsi ab Ægyptiis, antequam farinam, quam aqua consperserant, possent fermentare. Quare Deus duplici religione diem XV. illigauit, festi & azymi, festi, quod à captiuitate ad libertatem transissent, ideoque Phase illam, seu Pascha nuncupari voluit: & azymi, *Quintadecima mensis primi Pascha, & azyma.* quod ea die pane illo vesci necesse fuisset. Deut. 16. *Obserua*, inquit, *mensem nouarum frugum, & verni primum temporis, vt facias Phase Domino Deo, quoniam in isto mense eduxit te de Ægypto nocte; immolabisque Phase Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi. Non comedes in eo panem fermentatum; septem diebus comedes afflictionis panem, quoniam in pauore egressus es de Ægypto, vt memineris diei egreßionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ.* Exo. vero 12. *Septem diebus azyma comedetis. In die primo non erit fermentum in domibus vestris. Quicunque comederit fermentum, peribit anima illa de Israel, à prima die vsque ad diem septimam. Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis, nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendũ pertinent.* Leuit. 23. *mense primo XIV die mensis huius ad vesperam Phase Domini est, & XV die mensis huius solemnitas Azymorum Domini est: septem diebus azyma comedetis, & dies primus erit celeberrimus, sanctusque: dies autem septimus erit celebrior, &*

ſanctior: Et num. 29. *Menſe primo XIV die menſis Phaſe Domini erit, & XV die ſolemnitas.*

Totam hanc ſolemnitatem promiſcuè Paſcha, & Azyma Hebræi dixêre. Actuum Apoſt. XII. *Herodes Rex appoſuit, vt apprehenderet, & Petrum (erant autem dies azymorum) quem cum apprehendiſſet, miſit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum, volens poſt Paſcha producere eum populo.* Captus fuerat Petrus azymorum diebus, populo tamen producendus erat poſt Paſcha. perperam certe, ſi Paſcha non fuiſſent omnes dies ab Agno occiſo ad VII azymorum. Rabbi Moyſes Ægyptius in Morè Nebuchin præcepto 60. *Primus dies Paſchæ in quiete traducatur.* Num. 28. Exo. 12. *Similiter dies eiuſdem feſti ſeptimus.* Num. 28. in 2. Paralip. c. 35. 9. *Principes Leuitarum dederunt cæteris Leuitis ad celebrandum Phaſe quinque millia pecorum, & boues quingentos.* Quem locum Ioſephus explicans Antiq. lib. 9. c. 6. *Populum*, inquit, *Hieroſolyma conuocauit ad celebrandum feſtum azymorum, quod dicitur Paſcha.* Et de bello Iud. lib. 2. c. 1. *Itaque inſtãte azymorum die feſto, qui apud Iudæos Paſcha vocitatur.* Et rurſum Antiq. XX. c. 4. *Inſtante Paſchæ feſto, per quod noſtris hominibus veſci panibus infermentatis mos eſt.* Et qui magis, quam Ioſephus vrgent S. Lucas c. 22. *Appropinquabat dies feſtus azymorum, qui dicitur Paſcha.* Et Marcus 14. *Erat autem Paſcha, & azyma poſt biduum.* Paſcha ergo & azyma erat ea ſolemnitas quæ à veſpera XIV, ad veſperam vigeſimæ primæ primi menſis, immolatione agni, & eſu azymorum agebatur. Atque azyma ſumebant initium à veſpera XIV, quæ immediate diem

diem XV præcedebat; ergo & Pascha, ac propterea contra Dei cum mentem, tum verba Ægyptius sumi vult à vespera XIII.

Tredecima mensis non potuit esse Paschalis.

5. Sed video statim obiici mihi posse, Deum celebrari iubentem Pascha XIV mensis, & Azyma XV, & Iosephum antiq. 3. cap. 10. asserentem Pascha & Azyma esse solemnitates duas, *nam & hoc festum*, inquit, *illi continenter succedit.* Male propterea à me permisceri, & redigi ad vnam. Cæterum neque Deus secum, neque Iosephus cum Iosepho pugnat, & verba verbis conciliari facile possunt, si sensus explicentur; quod vt bene, & dilucide fiat, paulo altius repetenda res est.

Obiectio.

6. Apud Hebræos tam annorum, quam dierum erant genera duo, alij nimirum ciuiles, alij sacri; ciuilis anni initium mensis Tysri, Religiosi Nisan, qui septimus ciuilium est, & Martio fere nostro respondet. Sacrorum initium institutum in Exodo; ciuilium ex Ægypto retentum. Iosephus antiq. 1. c. 4. de diluuio loquens. *Contigit autem hæc vastitas anno ætatis Noe sexcentesimo, mense secundo, qui Dius à Macedonibus vocatur, ab* Hebræis *Marchesuan; sic enim Ægyptij distinxerunt annos. Moses autem Nisan, qui est Xanticus, mensem primum in suis fastis ordinauit.* Sic vero ad hanc vsque diem menses Hebræi numerant. 1. Tisri. 2. Marchesuan. 3. Casleu. 4. Tebeth. 5. Sebath. 6. Adar. 7. Nisan. 8. Iiar. 9. Siuan. 10. Tamuz. 11. Ab. 12. Elul. Pari ratione dies apud illos alij ciuiles, alij Religiosi, Religiosi ex lege à vespera ciuilis præcedentis. Leuit. 23. *A vespera ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra.* Ciuiles ex Ægypto à media nocte ad mediam.

Apud Hebræos anni, & dies ciuilis, & sacri, distincti.

Diei Religiosi initium à vespera.

Ciuilis à nocte dimidia.

De Ægyptiis Plinius lib. 2. c. 7. *Ipsum diem*, inquit, *alij aliter obseruauere. Babylonij inter duos solis exortus, Athenienses inter duos occasus; Vmbri à meridie in meridiem; vulgus omne à luce ad tenebras; Sacerdotes Romani, & qui diem definiuere ciuilem, item Aegyptij, & Hipparcus à media nocte in mediam.* Horum instar Hebræi ciuiles dies suos definiebant, eosque diuidebant in partes duas, in mane, & vesperam à Moyse edocti; qui dixit Gen. 1. *Et factum est vespere, & mane dies vnus.* Mane totam eam partem vocabant, qua sol ab angulo mediæ noctis ad meridianum ascendit. Vesperam, qua à meridiano descendit ad imum terræ. Hinc illis solemne immolare sacrificium vespertinum post horam diei sextam, siue statim ac ex vmbra sol traiecisse meridianum deprehenderetur, offerre circa horam nonam. Quod & Iosephi testimonio & cæterorum Rabbinorum consensu certissimum est. Iosephus antiq. 14. c 8. *Oppugnationis terror nihil obfuit, quominus solemnia peragerentur sacrificia, bis per singulos dies, mane, & circa horam nonam, super altari immolantibus nostris sacerdotibus.* Rabbi Moyses Ægyptius lib. 8. ספר עבודה sectione. תמידין. *Quotidianum vespertinum iugulabatur, quando vmbræ longiores fieri incipiebant, quod erat ab hora diei sexta, & dimidia vsque ad octauam, & dimidiam, offerebatur vero inde vsque ad horam nonam, & dimidiam.*

Mane à media nocte ad meridiem.

Vespera a meridie ad noctem dimidiam.

7. Habebant idcirco Hebræi sicut dies, ita vesperas duas, ciuilem vnam, cuius initium à meridie, naturalem, seu vt alij vocant, artificialem alteram, quæ erat à solis occasu. Qua de re illustris Matthæi locus c. 14. *Vespere autem facto, accesserunt discipuli ad*

Hebræi habebant duas vesperas in eodem die horarum sex interuallo discretas.

Iesum, dicentes: desertus locus est, & hora iam præteriit, dimitte turbas, vt euntes in castella emant sibi cibos. Quod Matthæus dixit: *Vespere facto*, id Lucas c. 9. *Dies cœperat declinare.* Discubuêre post vltra quinque hominum millia, distributi sunt eis panes, & pisces, multiplicatique; satiatæ turbæ, collecta fragmenta, transfretatum à Discipulis; dimissi quotquot eum sequebantur, & Christus tandem solus montem ad orandum ascendit. Tum demum vero sequitur Matthæus: *Vespere autem facto, solus erat ibi.* Ecce ergo tibi vesperæ duæ, vna ante miraculum, quando dies iam cœperat declinare, altera post, quando solus orabat, de qua Marcus c. 6. *Et quum sero esset* Idcirco totum tempus à meridie ad occasum siue, quod idem est, ab hora diei sexta ad XII, ab eis dicebatur, vt etiam nunc (quamquam plerisque causam ignorantibus) dicitur, *inter duas vesperas.* Cuius rei insigne illud testimonium in commentario, qui inscribitur Mechiltà. *Dixit Rabbi Nathan, quid causæ est, cur inter duas vesperas accipiendum sit de eo tempore, quod à sexta hora ad finem vsque diei labitur? Ei responsum est: non quidem afferri posse causam, sed ita esse à maioribus traditum.*

Quod tempus diceretur inter duas vesperas.

Quam sententiam sequuti sunt postea Simeon filius Iohai, Salomon, & Dauid Chmichi illustres Hebræorum Rabbini; è nostrisque Lyranus, Tostatus, Iansenius. Tempus pomeridianum in scriptura inter duas vesperas dictum reperias plerisque in locis, duobus tamen præsertim. Num. 28. 3. de sacrificio quotidiano. *Vnum offeretis mane, alterum* בֵּין הָעַרְבָּיִם *inter duas vesperas.* Et Exodi 12. 7. de Agno Paschali,

Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel בֵּין הָעַרְבָּיִם *inter duas vesperas*. Vesperam ciuilem inchoatam meridie durasse etiam postquam dies artificialis desiuit in noctem, ex scriptura demonstrari perspicuè potest. Exo. 12. 8. Epuli Paschalis tempus ita præscribitur: *Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus*. Nihilominus ver. 18. Tempus illud appellatur vespera: *Primo mense 14. die mensis ad vesperam comedetis azyma*. Rursum Leuit. 23. *Mense primo XIV die ad vesperam Phase Domini est*. Et num. 29. *Mense primo XIV die mensis ad vesperam Phase Domini est*. Cæterum Phase definitur Exo. 12. 27. *Victima transitus Domini, quando transiuit super domos filiorum Israel in Ægypto percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans*. Transiuit autem Deus nocte dimidia, ibidem ver. 29. *Factum est autem in noctis medio: percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti*. Iam vero si mensis 14. ad vesperam fuit transitus Domini, & Dominus transiuit in noctis dimidio, consequitur, vt vsque ad noctis dimidium vespera porrigeretur.

Dies ciuiles cœpisse à nocte dimidia probatur testimonio Christi.

8. Tales fuisse ciuiles Hebræorum dies, testem adhibeo Christum, & Ecclesiam. Dixit Saluator, se futurum in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus; sicut fuit Ionas tribus diebus, & tribus noctibus in ventre cœti. Quod ne per synecdochen quidem verum fuisset, nisi ciuiles Hebræorum dies ex vespera, & mane constituti à media nocte ad mediam noctem durassent. Enimuero vbinam, quæso, est nox illa tertia, cuius aliquam saltem partem Christus in limbo traduxit? Iacuit in sepultura no-

cte vna, quæ præcessit Sabbathum, & altera, quæ præcessit Dominicam; tertia, quæ diem tertiam præcesserit, inueniri non potest; Numquid ergo tribus diebus, & tribus noctibus non fuit in corde terræ, sicut futurum prædixerat? Absit; fuit vsque ad dimidium noctis, quæ Sabbathum præcessit, parte nimirum diei, & noctis feriæ sextæ. Fuit à media nocte, qua ciuile Sabbathum inchoabatur vsque ad dimidium noctis sequentis, quæ diei Dominicæ erat initium: & fuit tota media nocte, quæ diem Dominicæ anteuertebat, & horis primis eius; atque ita per synecdochen reuera fuit in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus, vti prædixerat. Hæc Christus.

Confirmatur testimonio Ecclesiæ.

9. Ecclesiæ verba in Canone sunt; *Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas.* Accepit vero panem illum post cœnam, quæ noctu finita est. Sic enim Apost. 1. Corint. 11. *Dominus Iesus, qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, &c.* Ergo sentit Ecclesia, noctem, quæ diem præcedebat, ea ex parte, qua cœnatum est, diei præcedentis partem fuisse. Sanctus Ambrosius ep. de Paschali celebritate. *Celebrauit Pascha hebdomadæ, in qua fuit quartadecima luna quinta feria. Deniq; ipsa die, sicut superiora docent, Pascha cum discipulis manducauit. Sequenti autem die, hoc est, sexta feria crucifixus est, hora quinta.* Augustinus ep. 86. *Intermisso autem vno die, cuius vespera Dominus cum Discipulis Pascha manducauit, quæ finis fuit eius diei, quam vocamus quintam Sabbathi.* Hinc Ecclesia eius diei & Cœnę imaginem expressura, eam vocauit semper non feriam sextam, sed quin-



tam in Cœna Domini; & in Canone Missæ peculiaris eius diei sic loquitur. *Qui pridie quam pro nostra, omniumque salute pateretur, hoc est hodie, accepit panem,* &c. Et male quidem, & falsò, si nox, quæ sequitur feriam quintam, Hebræis ea ex parte non fuisset feria quinta.

Et ex tempore, quo sanctæ mulieres visitatum iuerunt Dominum in sepulchro.

10. Confirmatur nostra sententia ex tempore, quo sanctæ mulieres visitatum iuerunt Dominum in sepulchro, quod nonnihil dissidij inter Euangelistas peperisse videtur. Matthæus inquit: *Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalene & altera Maria videre sepulchrum.* Marcus: *Et quum transisset Sabbathum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum, & valde mane vna Sabbathorum veniunt ad monumentum orto iam sole.* Lucas: *Vna autem Sabbathi valde diluculo venerunt ad monumentum portantes quæ parauerant aromata.* Ioannes: *Vna autem Sabbathi Maria Magdalenæ venit manè, quum adhuc tenebræ essent ad monumentũ* Sabbatho ciuiliter durãte, sed religiose iam transacto in vespera, emerunt aromata. Nocte proxima media, atque ideo desinente iam vespera Sabbathi ciuilis, quæ lucescit in prima Sabbathi, id est, in Dominica, quippe quæ legaliter iam cœpisset à præcedẽti meridie, domo exierunt. Nec prius ad ostium sepulchri venêre, seu implicatæ per Vrbem Nicodemum sepulchri Dominum quæritantes, seu aliquem alium opperientes ad limina horti, qui lapidem tolleret, quam orto sole. Initium eius itineris, quod ad sex horas durauit, Matthæus, finem Marcus, tempus intermedium Ioannes, & Lucas respe-

xêre initium Sabbathi, reliqua primæ Sabbathi ciuilis partes fuerunt. Sumpto initio diei ciuilis à media nocte, omnia plana, & explicata sunt, secus si aliunde sumatur. Ergo ex testimonio tam Christi, quam Ecclesiæ firmum nobis, fixumque esto, quicquid Rabbini nugentur, ciuiles Hebræorum dies à media nocte ad mediam noctem durasse.

11. Nec minus certum, in scriptura nuncupatione dierum mensis ciuiles dies venire. Leuit. 23. 26. *Decimo die mensis huius septimi dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus, affligetisque animas vestras in eo. Sabbathum requietionis est, & affligetis animas vestras die nono mensis. A vespera vsque ad vesperam celebritatis Sabbatha vestra.* Dies expiationum est decima mensis, nihilominus eum die nono mensis à vespera vult inchoari. Quod si vnus, & idem Religiosus dies, qui decimus est, vesperam noni, & mane decimi occupabat, consequitur, nonum, & decimum dies ciuiles fuisse, mensesque non ex religiosis sed ex ciuilibus diebus constitisse. Rursum Exo. 12. septem diebus azyma comedetis. Quorum prima fuit mensis primi XV. Leuit. 23. *Quintadecima mensis huius solemnitas azymorum Domini est.* Hos tamen septem dies enumerans inquit. *Primo mense xiv die mensis ad vesperam comedetis azyma vsque ad diem xxi eiusdem mensis ad vesperam.* Itaque vespera, quæ erat initium XV sacræ, non erat pars XV mensis, sed xiv. Non ergo ex religiosis diebus menses constabant. Tandem tam azyma, quam hebdomada septiduo diffiniebantur legali. Hebræi tamen ciuiliter loquentes octiduo constituebant. De azymis Iose-

Menses constabant ex diebus ciuilibus, non ex sacris.

phus Antiq. 2. c. 5. *In memoriam eius inopiæ festa per octo dies celebramus, quos vocamus azymorum.* De hebdomada, Antiq. 7. c. 11. *Instituit, vt vna agnatio sacerdotum ministraret Deo per dies octo à Sabbatho vsque ad Sabbathum.* Et infra: *Leuiticam Tribum in partes xxiv. diuisit, & sortitione facta, illis quemadmodum & sacerdotibus octeni ministerij dies obuenere.*

Hoc vero nulla alia ratione dici potuit, nisi quia XV sacra occupabat partem XIV mensis, & Sabbathum præcedentis ciuilis diei partem supremam, ratione cuius per synecdochen dies septem dicebantur octo ciuiles. Ex his tria sequuntur.

[S]iluitur obiectio, & conciliantur testimonia quæ pugnare videntur.

12. Et primum quidem, si de vespera, & mane Paschali ciuiliter loquendum esset, & quæ vtraque die Hebræis in Ægypto contigerant, referenda essent ad diem suum, quartam decimam recte dictam fuisse Pascha, & quintam decimam azyma, quum agnum iugulare, & esse oportuerit in vespera quartæ decimæ. Azyma Ægypto efferre mane quindecimæ. Et huc respexit lex quoties inculcauit: *quarta decima ad vesperam Pascha Domini est, & quintadecima solemnitas azymorum Domini est.* Nunquam enim simpliciter dixit, quarta decima Pascha Domini est, sed vt omnem ambiguitatem tolleret, adiecit semper: *ad vesperam.* Hoc sensu Pascha, & Azyma dici possunt duæ solemnitates, duoque festi dies, vt Iosephus dixit, quum reuera duobus, quamquam non integris ciuilibus diebus celebrarentur.

13. Cæterum si de illo mane, & vespere religiosè loquamur, Pascha, & Azyma vna tantum festiuitas fuit, vna solemnitas, vnus dies, ex vtraque parte consurgens,

consurgens, cuius initium quartadecima mensis à meridie, siue, quod idem est, ad vesperam; quod probant testimonia quæ supra adducta sunt. Et huc respexerunt Euangelistæ, quoties diem, qua Christus egit supremum Pascha, primam Azymorum dixêre. Hieron. in Matth. 26. *Prima Azymorum decimaquarta dies mensis primi est, quando agnus immolatur, & luna plenißima est, & fermentum abijcitur.* Augustinus ep. 86. *Matthæus Euangelista dicit, quintam Sabbathi fuisse primam azymorum, quia eius vespera sequente futura erat Cœna Paschalis, qua Cœna incipiebat azymum, & ouis immolatio manducari.* Rabbi Moyses Ægyptius in Morè Nebuchin præcepto 158. affirmatiuo, *Abijciatur fermentatus panis die primo azymorum.* Et Deus ipse Exo. 12. *Septem diebus azyma comedetis. In die primo non erit fermentum in domibus vestris.* Abiiciebatur tamen decimaquarta ad vesperam.

Etsi festa incipiebant à vespera diei præcedentis, dies tamen præcedentes non dicebantur festi.

14. Etsi Pascha, & Azyma constabat ex vespera decimæquartæ & mane decimæquintæ, festum tamen Paschæ pro consuetudine legis non dicebatur decimaquarta, sed decimaquinta mensis. Dixi pro consuetudine legis, quæ etsi e. g. Sabbathum incipit à vespera Parasceues, & festum expiationum nona septimi mensis, non tamen aut Parasceuen, aut nonam septimi festum dicit, sed Sabbathum, & decimam. Idque in omnibus eius festis videre est. Hinc Num. 28. 16. *Mense autem primo, quarta decima die mensis Phase Domini erit, & quintadecima die solemnitas.* Et ideo Sanctus Matthæus c. 27. loquens de consuetudine dimittendi populo reum mortis in die qua Christus passus est. *Per diem autem solemnem*, inquit,

consueuerat Præses dimittere populo vnum vinctum, quem voluissent. Consentiuntque Marcus c. 15. & Lucas c. 22. & ideo S. Ioannes Cœnam Christi supremam, quæ facta est decimaquarta mensis, factam dixit, *ante diem festum Paschæ.*

Tertiadecima mensis nulla ratione dici potuit Pascha.

Colligo ex dictis, diem tertiam decimam mensis primi nulla ratione dici potuisse Pascha, & Azymorum primam, vt Ægyptius vult. Aut enim de decimatertia ciuili loquitur, aut de sacra, si de ciuili, desierat nocte media, ante decimaquartam. Si de sacra, desierat meridie suo; ac propterea ad eam nulla ratione trahi potest vespera decimæquartæ, qua agnus ex lege immolari debebat.

Nulla dies habuit duas vesperas.

15. Quod vero Ægyptius assumit, vnamquamque diem habuisse vesperas duas, id falsissimum est; sed æque dies ciuiles ac sacri vnico mane, & vespere constabant, eo tantum distincti, quod mane anteibat in ciuili, sequebatur in sacro: *Factum est vespere, & mane dies vnus,* dixit Moyses Gen. 1. & canit Ecclesia;

Qui mane iunctum vesperi
Diem vocari præcipis.

16. Iam vero huius erroris cardine conuulso; cætera omnia facile dilabentur. Ostendimus ex Euangelio tria. 1. Apostolos parasse Pascha. 2. Christum dixisse, manducaturum se Pascha. 3. Adiecisse inter cœnandum, se manducare Pascha. Ad primum his verbis respondet Ægyptius: *Parauerunt Pascha, id*

Ægyptij euasio prima.

est partem illius aulæ ipsis assignatam, quæ sub cooperto erat,
« *verrerunt, pulueribus discusserunt, & storeas distenderunt*
« *in ea, corea, tapetia, & ceruicalia, & stragula, vt cum ad*
« *somnum se postea collocarent, quo caput reclinarent, &*
« *quibus tegerentur, haberent.*

At bone vir, si Patrum, & Ecclesiæ interpreta- *Refellitur.*
tiones contemnis, scripturam saltem scrutare, in qua nomine Paschæ nihil vnquam reperies præter dies Paschæ, & epulas Paschales.

18. Ad secundum respondet; Christum fecisse *Secunda.*
» quidem Pascha cum discipulis suis apud illum, quem
» dixerat, non tamen in persona propria, sed inse-
» quenti die in persona discipulorum suorum; illi sen-
» tentiæ simile inquit. *Quod fecistis vni ex minimis meis,*
» *mihi fecistis.*

Cæterum redarguit eum, refellitque S. Marcus *Refellitur.*
his verbis: *Vespere autem facto, venit cum duodecim, & discumbentibus illis, & manducantibus, dixit. Desiderio desideraui, hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.*

19. Non tamen de gradu cedit Ægyptius, sed ad *Tertia.*
» Marcum respondet; Christus apud Lucam subiecit.
» *Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec*
» *impleatur in regno Dei.* Et inquit: Christus dixit, se dein-
» ceps non manducaturum amplius illud Pascha,
» quod manducare desiderauerat, nisi sequenti die,
» dum actus in Crucem impleuit figuram Agni, qui
» eum, & eius passionem figurabat, atque hinc exul-
» tabundus colligit, eo vespere Pascha non mandu-
» catum à Christo.

Esto Regnum Dei crucem significet, Pascha Christum, & esus Paschæ mortem, germanus, sed paraphrasticus huius loci sensus hic erit. Desideraui, & vehementer quidem, manducare vobiscum hoc Pascha, antequam patiar, quòd voti compos effectus iam manduco. Scitote vero, me post hanc ves-

peram Paſcha iſtud amplius non eſſe manducaturum, niſi poſtquam, ſeu dum actus in crucem eius figuram impleuero. Et hinc quiſque collegerit Chriſtum ea veſpera non manducaſſe Paſcha?

Refellitur. At vbinam gentium didicit Ægyptius tormenta, paſſionem, & mortem Chriſti ab ipſo dicta fuiſſe regnum Dei? Eccleſiam, Paradiſum, Euangelium, aliaque bona per Regnum Dei in ſcriptura ſignificata vidi, at pœnas Chriſti hoc nomine deſignatas, neque legi, neque vidi, neque audiui vnquam. Quin potius Chriſtum, *Poteſtatem tenebrarum, illam dixiſſe ſcio.* Nobis huius loci difficilis quidem, & obſcuri placet interpretatio Chryſoſtomi, cui Regnum Dei eſt reſurrectio, qua morte deuicta, & mortalitate exuta Dominus regnauit, accipiens à Patre omnem poteſtatem, ſicut ipſe de ſe teſtatus eſt dicens: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* Quod de Paſchate, & eius eſu dixit, hoc eſt de potu ſtatim ſubiecit: *Non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Perinde igitur eſt, ac ſi dixiſſet: poſt hanc diem, neque manducabo, neque bibam vobiſcum hoc Paſcha (quod iam oſtendimus toto octiduo duraſſe) niſi nouo modo, poſtquam reſurrexero. Quod vero non manducauerit tantum poſt reſurrectionem cum Apoſtolis, ſed biberit etiam, teſtatus eſt Petrus Act. c. 10. *Qui manducauimus & bibimus cum illo, poſtquam reſurrexit à mortuis.*

Opinio Ægyptij de hora cœna Domini. 19. De hora Cœnæ demum litem mouet Ægyptius ad ea verba, *& cũ facta eſſet hora diſcubuit.* Hora, inquit, tum præciſa fuit inter vigeſimã ſecundã, &

vigesimam tertiã horologij nostri Italici iuxta con- »
suetudinem, quæ etiam nunc in toto oriente ob- »
seruatur, & antiqua pariter erat omnium nationum. »
Hoc tamen perinde ac cætera cum sacris litteris pugnat. S. Marcus: *Vespere autem facto venit cum duodecim*, inquit; sed facto vespere sequitur crepusculum, hoc ergo tempore venit, *quod tempus incertum est, diei, an noctis sit*. Si vero inter crepuscula venit, ante noctem cœnare cœpisse, impossibile est.

Refutatur.

Censor. de Die Nat. Varro de ling. lat. lib. 1. c. 5.

20. Concludo hoc caput. Fatetur Ægyptius, hoc suum dogma pugnare cum perpetuo, & vniuersali consensu Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum; ostendi ego, pugnare cum expressis testimoniis Scripturæ sacræ; idcirco ab errore in fide defendi non potest. A quo iuxta communem Catholicorum doctrinam ne defendi quidem posset, si scripturæ testimonia deessent.

Opinio Ægyptij defendi non potest ab errore in fide.

Christum passum non esse luna decima quarta, qua occasione discutiuntur, & refelluntur anni primitiui, & cycli lunares Ægyptij.

Cap. III.

1. Licet controuersia de Cœna Christi suprema quæstionibus de annis, mensibus, & diebus Iulianis, quibus natus, & passus est, ita implicita sit, vt vix, ac ne vix quidem sine illis bene explicari possit, proxime tamen, & immediate pendet à quæstione de die mensis lunaris, quo facta fuit. Si enim quar-

Controuersia de Cœna Domini potissimum pendet à die mensis lunaris.

tus decimus fuit, dubitari non poteſt, quominus hæc Cœna fuerit Paſchalis, ſecus ſi decimus tertius, vt iam hoc maxime nomine Græci audiendi non ſint, quod eorum opinionem hic error ſequatur. An vero XIII, an XIV fuerit, duplici argumentorum genere inquiri ſolet, Theologicis, & Aſtronomicis, & vtroque contra XIV, Ægyptius diſceptauit; quorum præcipua nos hoc capite diſſoluemus, quæ ad dies & annos Iulianos pertinent capitibus ſequentibus proſequuturi.

Fundamenta Ægyptij. Mundum creatum eſſe Octobri, & Nouilunio. Et Deo authore Cyclum eius lunarem vſurpari cœpiſſe.

Is ergo libro ſui operis primo, quem *res fundamentales* inſcribit, principio probare nititur, mundum creatum fuiſſe menſe Octobri, & in Nouilunio. Inde perſuaſum lectori vult, reuelatum ſibi à Deo fuiſſe, ſtatim ab orbe condito, Deo ipſo inſpirante, Cyclum quendam lunarem vſurpari cœpiſſe, quem vſque ad excidium Hieroſolymorum ſub Tito Hebræi non intermiſerint, cuius forma hæc eſt.

Forma Cycli lunaris.

Menſes Lunares alternis ſunt dierum triginta, & viginti nouem, illi pleni, iſti caui, quorum initia à luminarium congreſſu.

Annus triplex, communis, plenus, & plenus abundans. Communis ex duodecim lunationibus, ſeu diebus 354. quibus luna duodecies ſoli coniungitur.

Plenus menſibus XIII, diebus 384. Plenus abundans menſibus XIII, diebus 385. tredecimum ideo in anno pleno facit dierum 30. in pleno abundanti vnius & triginta. In annis XIX intercalat ſepties, ter dies 30. quater vnum, & triginta; atque ita Cyclum decennouennalem componit ex decem com-

munibus, & septem intercalaribus, quorum tres pleni sunt, quatuor pleni abundantes, ordine, quo docet eius Cycli imago subiecta.

	1.	29. Octo.
31.	2.	18. Octo.
	3.	7. Nou.
	4.	27. Octo.
30.	5.	15. Octo.
	6.	3. Nou.
	7.	23. Octo.
31.	8.	12. Octo.
	9.	31. Octo.
30.	10.	20. Octo.
	11.	8. Nou.
	12.	28. Octo.
31.	13.	16. Octo.
	14.	5. Nou.
	15.	25. Octo.
30.	16.	14 Octo.
	17.	1. No.
	18.	21. Octo.
31.	19.	10. Octo.

12. Iſidor. lib. 5. etymol. c. de Temporibus, vt mittam innumeros alios ſequioris æui doctiſſimos viros. Immo gentiles ipſi Aſtronomi, vates, ſeu natura impellente, ſeu traditionem ſequuti iam inde à primis temporibus ductam, hanc in ſententiam venêre. Virg. Georg. 2.

Non alios prima naſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumue habuiſſe tenorem,
Crediderim; ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hibernis parcebant flatibus Euri.

Aſtronomi vero nuſquam non initium anni in Ariete poſuêre, ſed quid Aſtronomi, Philoſophi, Poëtæ dixerint, parui refert, magni vero quid Patres, adeo vt Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ in hiſtoria libri Geneſeos affirmarit, dogma eſſe Eccleſiæ, mundum eſſe creatum menſe Martio. Atque ita ſenſiſſe olim nedum priuatim ſcriptores, ſed publicè etiam Eccleſiam vniuerſam, docent antiqua Eccleſiarum Kalendaria; quum .n. litteras Dominicales, & concurrentes indagarent diuiſione totius temporis à prima die ſæculi ad annum datum, diem ſæculi primam ponebant in Martio. Sic Kalendarium Romanum, quod eſt in Ephemeri Bedæ ad Martij 26. & Breuiarium antiquum Vaticanum m. s. num. 4757. Faſti vero Siculi ad Conſulatum Auguſti XIV. & Siluani, ratione vtebâtur haud abſimili. Suaderique poteſt rationibus, & ſcripturæ teſtimoniis, quæ ex Ambroſij ore audire lubet. *Dedit ergo*, inquit, *formam fructus annorum curriculis mundi primus exortus; vt ea lege annorum vices ſurgerent, atque initio cuiuſque anni produceret terra noua ſeminum germina, quo primum di-*

Rationes SS. Patrum pro primo mundi vere.

xerat Deus, germinet Terra herbam fœni seminans semen secundum genus, & secundum similitudinem, & lignum fructiferum faciens fructum, &c. In quo nobis & moderationis perpetuæ diuina prouidentia, & celeritas Terræ germinantis ad æstimationem vernæ suffragatur ætatis. Et infra: *Ergo vt ostenderet diuina scriptura, Veris tempora in constitutione mundi, ait. Mensis hic vobis initium mensium primus erit in mensibus anni, primum mensem, vernum tempus appellans. Decebat enim principium anni, principium esse generationis.* Hæc Sanctus Ambrosius huius causæ patronus.

1. *Obiectio Ægyptij.*

3. Quem contra insurgit Ægyptius lib. 1. c. 12. & postquam dixit: *Magnopere decipi sectatores vulgaris*
» *illius credulitatis* (ita nimirum loquitur de placitis
» SS. Patrum) *quam communem iactant opinionem, aliosque*
» *que velle deceptos longissime à veritate aberrantes;* in illam
» Sanctorum aciem, quam vidisti, iactabundus intor-
» quet tela tria. *Auctoritates tamen posthabendo*, inquit,
» *tribus hoc probabimus validissimis argumentis, quæ nullo*
» *modo infringere poterunt.* Quorum primum, & illud
» quidem antiquius Pandora huiusmodi est. Creauit
» Deus ab initio mundum, constituitque illi determi-
» natas temporum vices, quas nunquam ei, etsi cun-
» ctorum Dominus foret, mutare libuit. At arbori-
» bus cunctis fructus tantum in Autumno maturi re-
» periuntur, quibus vescantur homines, non autem in
» vere; creauitque Deus arbores omnes cum fructi-
» bus, ergo in Autumno primum Deus creauit mun-
» dum. Creasse cum fructibus probat triplici testimo-
» nio Gen. 2. *Plantauerat autem Deus Paradisum volu-*
» *ptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat.*

Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue; & postea: *ex omni ligno Paradisi comede, de fructu autem scientiæ boni & mali ne comedas, &c. 3. Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno Paradisi? De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso vescimur, de fructu vero, &c.* » » • » » •

Verum sagittæ paruuli factæ sunt plagæ eius; quis enim, quæso, dixerit, orbem totum eodem priuilegio ditatum, quo Paradisus? Quis nullos fructus maturescere nisi Autumno? maturescunt alij Vere, Æstate alij, alij Autumno, sunt etiam qui Hyeme maturescant. Et miraculum esset, videre matura simul persica cum cerasis, mala punica cũ amygdalis, citonea cum ficubus, aliaque id genus: *Plantauerat* nihilominus, *Deus in Paradiso omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue, & dixerat Adæ: ex omni ligno Paradisi comede.* A natura igitur non erat conditio arborum Paradisi, sed ab auctore naturæ. Hinc de arboribus illis dicit Scriptura: *Produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue.* De aliis vero arboribus dictum non est, *produxit Deus*, sed *germinet terra*, & *protulit terra.* Et nullis quidem extra Paradisum arbores fructibus onustas fuisse alius quisquam forte collegerit ex verbis Dei. *In sudore vultus tui vesceris pane,* (quo nomine censentur edulia vniuersa) *tuo.* Non enim sudandum Adæ fuisset, dicet is, vt cibum sibi quæreret; si iam quoquouersum se verteret, fructus vidisset sibi paratos à Deo. At ego aliter. Nihil sustentandæ humanæ vitæ accommodatius, quam triticum, & segetes, quæ Martio in Palæstina metebantur; Deo sibi of- *Diluitur.*

Leuit. 23. 15. Deuteron. 16.9.

ferri iubente manipulum nouarum frugum die XVI Nisan, & Azymorum secunda. Probabilius ideo est, mundum hac tempestate creatum, quæ segetes habet & fructus, quam alia, quæ segetes non habet etsi fructus.

Secunda obiectio.

4. Secundo inquit Ægyptius. Exo. 12. Dixit quo-„ que Dominus ad Moysen, & Aaron. Mensis iste vo-„ bis principium mensium primus erit in mensibus „ anni. *Et si ab initio æui talis erat, ad quid ergo iussit Deus,* „ *vt in futurum principium mensium fuisset, & primus in* „ *mensibus anni?* Quæsitum, quod facile soluitur: Ægy-

Responsio.

ptiaca seruitus coëgerat Israelitas, deserta antiqua, & Adamæa temporum ratione, annos suos Ægyptiorum more putare; ideo liberati, priscam illam repetere iussi sunt. Hoc enim volunt illa verba Dei: *Mensis iste vobis principium mensium*, id est, qui vobis hominibus est principium mensium, & temporum, in posterum etiam *vobis erit principium anni.* Ioseph. antiq. 1. c. 4. *Contigit autem hæc vastitas anno ætatis Noe sexcentesimo, mense secundo qui Dius à* Macedonibus *vocatur, ab Hebræis* Marchesuan. *Sic enim Ægyptij distinxerunt annos.* Moses *autem Nisan, qui est Xanticus, mensem primum in suis fastis ordinauit.* Itaque si Marchesuan erat secundus, & Tysri primus ante exodum, hoc erat ex instituto Ægyptiorum, quod à Moyse, iussu Dei in exodo antiquatum est, posito anni principio in mense Nisan, sicut ab initio fuerat.

Tertia obiectio.

5. Tertium argumentum est. *Prima opera patrata* „ *notantur à Deo in primo die hebdomadis; at si dies accipere-* „ *tur nouilunij vernalis, inueniretur fuisse in die xxiv Apri-* „ *lis, & incidisset in feriam tertiam, & non in* Dominicam,

quod esset contra Scripturæ sacræ authoritatem.

Hoc argumentum duos inuoluit errores, vnum in scriptura, alterum in Astronomia, eosque adeo ingentes, vt vix credibile sit, hominem non indoctum in eos offendere potuisse. Contra veritatem Scripturæ Genesis primo est, quod primum Nouilunium inciderit in Dominicam, & primam mundi diem. Creatis enim luminaribus scriptura subiecit: *Et factum est vespere, & mane dies quartus.* Igitur teste Deo, non Dominica, sed feria primæ hebdomadæ quarta, non die mundi prima, sed quarta creata fuêre. Quod ergo Dominicam, & primam mundi diem Nouilunio primo assignat Ægyptius, id ab errore in scriptura defendi non potest.

Enodatur.

Pugnat cum scriptura.

6. Astronomicè vero erratum ab eo est, quod ait: Si mundus eius anni Vere creatus fuisset, Nouilunium primum futurum fuisse Aprilis XXIV, & feria tertia; fuisset enim die Aprilis quinta, & feria quarta, vt ex principiis eius demonstro.

Et cum Astronomia.

Asserit primò, Nouilunium mensis, quem ipse vocat primum, incidisse in Dominicam, diemque Octobris XXIX, hor. 1. min. 20 post meridiem. Asserit secundo menses eius anni fuisse lunares, alternis plenos, & cauos dierum triginta, & viginti nouem.

Adde tertium gratia facilioris doctrinæ, diem XXIX. Octobris esse trecentesimam secundam anni Iuliani, vt ex dispositione mensium Iulianorum videre est.

Ianuarius	31.	31.
Februarius	28.	59.
Martius	31.	90.
Aprilis	30.	120.
Maius	31.	151.
Iunius	30.	181.
Iulius	31.	212.
Augustus	31.	243.
September	30.	273.
October	29.	302.

Iam vero retexamus lunationes à vigesima nona Octobris ad lunationem Aprilis per menses plenos, & cauos, & videamus quò nos manu ducant,

Dies anni Iuliani.		Nouilunia.
302.	29.	Octobris.
30		
272.	29.	Septembris.
29.		
243.	31.	Augusti.
30.		
213.	1.	Augusti.
29.		
184.	3.	Iulij.
30.		
154.	3.	Iunij.
29.		
125.	5.	Maij.
30.		
95.	6.	Aprilis.

Vides itaque Nouilunium Vernum quintâ Aprilis die. Facilius & expeditius: à nouilunio Octobris ad nouilunium Aprilis sunt septem lunationes quatuor plenæ, tres cauæ, quæ exigunt dies 207. A vigesima quarta Aprilis ad 29. Octobris sunt dies 188. Desunt ergo ad nouilunium dies 19. qui ducunt ad quintam Aprilis. Si vero XXIX. Octobris fuit Dominica, etiam secundam Aprilis incidisse in Dominicam necesse est; quum eadem affixa notetur: & ex consequenti quintam eius mensis fuisse feriam quartam. Vernum igitur nouilunium eius anni incidit in quintam Aprilis diem, & feriam IV, quod erat demonstrandum, & in calculo primorum sex mensium mundi, ei, qui ne minimam quidem vllam erroris vmbram in hoc suo libro notari posse, magnificè prædicauerat, irrepsit error dierum XIX.

Ægyptij error xv. dierum in calculo primorũ sex mensium mundi.

7. Hinc sequitur, & demonstratiuè quidem contra Ægyptium, erroneum illi esse, asserere, Mundum non Vere, sed Autumno creatum fuisse. Si enim creatus dicatur Autumno, luminaria creata fuissent die Dominico, quod est contra veritatem scripturæ. Si creatus dicatur Vere, luminaria creata fuissent feria quarta, vti scriptura docet.

Discutitur opinio de creatione luminarium in nouilunio.

8. Alterum Ægyptij fundamentum de creatione sydерum in nouilunio, ea vna ratione nititur, quod anni primitiui fuerint lunares, si enim vere tales fuissent, citra controuersiam primi illi homines putassent menses suos à luminarium congressu; nisi quis menses quinis denis definiri diebus velit, vt Indi olim, Q. Curtio teste, fecêre.

9. De hac controuersia inter Hebræos non con-

Non attinet ad fidem, sed contraria est probabilior. uenit, inter Catholicos nihil est de fide, aut fidei proximum; habet tamen contraria sententia grauem, & antiquum Authorem Concilium Palæstinæ sub Victore. Et certe si fecit Deus Gen. 1. *Luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti, diemque & noctem diuiderent*, Luna in nouilunio creata non fuit; nec enim eo tempore aut nocti præest, aut noctem à die distinguit, vt in plenilunio, quo munus vtrumque præstat, isto igitur tempore creata.

1. Ratio.

2. Ratio.

10. Adde, quæ à Deo creata sunt, ea in statu perfecto creata fuisse, ideo legimus: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, perfectus vero lunæ status respectu huius mundi inferioris, cuius gratia creata est, est plenilunium. Eo nimirũ, quasi sol minor, vt eam vocat Aristoteles[a], siue vt æmula solis, noctis decus, vt placet Apuleio[b], principatum orbis cum luminare maiori æquo iure partitur. [c] Tunc ostreas, conchilia, echinos, & conchas omnes, quæ eius reguntur influxibus, fouet, succi implet, & quasi in virili ætate constituit, decrementa deinceps cum ipsa, senium, & in congressu eius cum Sole quandam mortis imaginem subituras. Non ergo lumine minutam, sed lumine plenam eam orbis accepit.

a 4. *de generat. anim. c. vlt.*
b *lib. 6. de Deo Socrat.*
c *Plin. lib. 2. nat. hist. c.* 41.

Primos mundi menses nõ fuisse lunares.

11. Quod ex aduerso dicitur de annis lunaribus ab initio mundi, falsum est, quos solares fuisse, ex scriptura probari facile potest. Primum quia trigesima mundi dies, quæ clausit anni primi mensem primum. Fuit XXVII, à creatione luminarium, quum cœlis imposita fuerint quarta die, quare primus mensis,

mensis, à quo cæteri numerati sunt, non potuit esse lunaris, quum mense altero ineunte deessent ad nouilunium dies tres, horæ XII. Adde; quum diluuium cœpisset die decima septima mensis secundi, Gen. 7. 10. *Post centum & quinquaginta dies*, hoc est centesimo quinquagesimo primo, à diluuio inchoato, *reuersæ sunt aquæ, & requieuit arca.* Gen. 8. 4. Qui dies ex textu Hebraico, & paraphrasi Chaldaica, erat mensis septimi decimus septimus; quare ab initio anni ad initiũ diluuij præterierunt dies 46. quum mensis primus tam in anno lunari quam in solari constet diebus triginta. Quibus si addas sedecim secundi, & 151 dies ab initio diluuij ad requiem Arcæ, omnes erunt 197, qui diuisi per triginta, conflabunt sex integros menses dierum triginta, & septemdecim septimi. Erant ergo menses illi solares, non lunares. Restat igitur, vt duo hæc Ægyptij fundamenta, si non aperte falsa, saltem minus tuta sint, rationibusque firmata leuioribus, quam par esset ei, qui in re minime ludicra, à communi antiquorum, & Doctorum (ne dicam Sanctorum) hominum sententia recedere velit; vt iam nimium non audere non possit quisquis sic instructus, adeo irreuerenter, ne dicam immodeste, illis obloquatur, *Modestius loquendum fuisset Ægyptio contra Sanctos Patres.*

12. Faciamus tamen demonstratum ab eo fuisse, Mundum Autumno creatum, & nouilunio, & videamus, an his positis, Cyclos, & annos suos ita constituat, vt de Cœna Christi Paschali si non honeste, & pie, ingeniose saltem, & docte dubitasse videri possit. *Discutitur Cyclus lunaris Ægyptij.*

Quanto temporis interuallo fiant mediæ con-

Variæ Astronomorum summæ de quantitate mensis lunaris.

gressiones luminarium, quibus menses Ciuiles lunares diffiniuntur, ex variis præcipuorum Astronomorum sententiis colligi potest, qui earum modum ita constituerunt,

	Dies	hor.	min.	sec.	ter.	quar.	quint.	sex.
Ptolemæus	29	12	44	3	20	0	0	0
Alphonsus	29	12	44	3	2	58	51	22
Copernicus	29	12	44	3	10	38	9	20
Tycho.	29	12	44	3	8	39	46	48

Nos ex vno Alphonso agemus cum Ægyptio, tum quod eius modum sequi se profitetur, tum quod siue hunc, siue illum nunc sequamur parui refert, quum Solis minutiis tertiis & sequentibus cæteri ab Alphonso dissideant. Immo ne morositate calculi Lector defatigetur, sumemus, vt Computistæ solent, tertia tria pro tertiis duobus, quartis 58, & cæteris minutiis; non enim tanti sunt, vt spatio annorum mille vnius horæ varietatem pariant. Eam tamen, quantulacumque sit, quam citissime Ægyptio cum fœnore restituemus.

Primus error Cycli Ægyptij.

13. Continet Cyclus lunaris annos duodecim communes, & septem embolimos, illos lunationum duodecim, istos tredecim, omnes ad summum lunationes 235. quæ ductæ in dies 29. hor. 12. min. 44. sec. 3. & tert. 3. quibus constat vnaquæque lunatio, reddunt dies 6939. horas 16. min. 31. sec. 56. tert. 45. At Cyclus Ægyptij est dierum 6940. quare iusto maior hor. 7. min. 28. & aliquid amplius, quod ei largimur propter minutias illas quartas, quas paulò ante accepimus. Si vero tantum erroris est in vno Cyclo; centesimo quoque anno, qui est quintus sexti Cycli,

consurget error diei vnius hor. 13. min. 20. & vltra. Quibus si addas diem alterum, quem intercalat centesimo quoque anno, erunt dies 2. hor. 18. min. 20. Tantoque tempore secundum motum medium luminare cœleste lunam Ægyptiacam anteuertet.

Dio- dor. lib. 22. Cē- so- rin. c. 18. 14. Meton Atheniensis primus fuit, qui olympiade 86. cyclum decennouennalem excogitauit, arbitratus cum Ægyptio lunationes 235 exigere integras dies 6940. sed post, Calippo Cyziceno authore, deprehensus fuit error, quem dixi, reiectoque Cyclo Metonis, in eius locum successit Calippica Periodus. Constabat illa quidem quatuor Cyclis Metonis, sed vnoquoque Cyclo sex horas eximebat, & 76 annorum interuallo integram diem. Quia tamen omnino non congruebat motui lunæ, eam quoque tandem orbis reiicere coactus est: Si vero Calippicam Periodum orbis reiecit, quod etsi in annis 76 adimeret Cyclo Metonis vnam diem, minus tamen adimeret, quam oportebat, quid facturum speramus de Cyclo Ægyptij, qui quinto quoque Metonis Cyclo adijcit vnam diem?

Meton primus Author eius Cycli, reiectus ab Antiquis.

Calippica Periodus reiecta, quod minus adimeret Cyclo Metonis quā oportebat, cui tamē Ægyptius adijcit vnam diem.

15. Anni XIX. Solares ex 365. & quadrante exigunt dies 6939. h. 18. à quibus si quotannis subducas vndecim minuta, quibus abundat annus Iulianus ab Alphonsino, reliqui erunt dies 6939. 14. hor. min. 31. qui respondent Cyclo lunari Ægyptij. Absoluet igitur Sol Enneadecaëteridem suam horis nouē, & dimidia, antequam Luna suā expleat, tantóque longior erit Enneadecaëteris lunaris Enneadecaëteride solari. Si vero in vna Enneadecaëteride Sol Lunam anteuertit tanto tempore, post annos 95, quibus ab-

Secundus error Cycli Ægyptij.

ſoluitur quinta Enneadecaëteris, anticipabit dies 2. minus min. 30, & poſt vnum æuum dies ferme octo, atque ita ante vltimam Enneadecaëteridem ſecundi æui in aëtere tota diametro diſtabit à Luna; ex tabulis tamen, & Cyclis Ægyptij in eodem ſigniferi gradu lunæ copulatus gradietur.

Opinio Ægyptij de vniformi anni æquinoctialis quantitate.

In eo etiam Ægyptius grauiter lapſus eſt, quod motum Solis vniformem, & anni quantitatem vnam & eandem fuiſſe ſemper arbitratus, vno, & eodem pede omnia præterita ſæcula dimenſus eſt.

Refutatur ex S. Scriptura.

Pugnat hoc ex diametro cum Scriptura, cum experientia, & cum communi Aſtronomorum conſenſu. Eccleſiaſt. 33. 6. Siracides proponit hanc quæſtionem: *quare dies diem ſuperat, & annus annum à Sole?* Eamque ita expedit, *A Domini ſcientia ſeparati ſunt facto ſole, & præceptum cuſtodiente.* Perperam vero, ſi Ægyptio fides habeatur.

Et quantitate anni Iuliani.

17. Anno 40. ante natũ Chriſtum Iulius Cæſar Calippum, & Alexandrinos imitatus anni magnitudinem conſtituit dierum 365, & horarum ſex; & hæc quantitas ſi duraſſet ſemper, æquinoctia non anticipaſſent ſedes ſuas, ſed vno eodemque anni fixi die æternum perennaſſent. At certum eſt, anno primo Iuliano repertum fuiſſe æquinoctium Vernum in 25. Martij, ibique conſtitutam ei ſedem à Cæſare, ſic enim teſtatur Columella[a], Plinius[b], Macrobius[c], & omnis antiquitas[d]. Ad annum tamen Domini 1582, quo Greg. XIII Pontifice Kalendarium inſtauratum eſt, ad vſque decimum, & vndecimum Martij diem retroceſſerat; non ergo anni quantitas à Cæſare obſeruata ſequentibus ſæculis durauit.

a *Lib. 9. de re ruſt.*
b *Lib. 18. nat. hiſt. c. 25. & 26.*
c *Lib. 1. Saturn. c. 21.*
d *Duo Kalēdaria marmorea Chriſto proxima, vnum Farneſianorum, alterũ Bernardini della Valle apud Gruterum pag. 138.*

18. Ptolemæus anno circiter 130 à Christi Natali, obseruato quã accuratissime motu Solis, deprehendit anni magnitudinem dierum 365. hor. 5. min. 55. secun. 12. Albategnius circa annum Christi 880. dierum 365. $5^{h}.\ 4^{\prime}.\ 16^{\prime\prime}.$ Alphonsus Castellæ Rex, anno Domini 1251. dierum 365. h. 5. min. 49. 16. *Ptolemaici.* *Albategnini.* *Alphonsini.*

Tandem Nicolaus Copernicus, suis, & antiquorum obseruationibus collatis, anni inæqualitatem ad certam periodum redegit, annorum scilicet Ægyptiorum 1715. eiusque tum incrementa, tum decrementa demonstrare aggressus, maiorem Ptolemaico, & minorem Albategniano & fuisse, & esse posse monstrauit. *Copernicai.*

19. Illud vero contra magnitudinem Alphonsinam validissimum argumentum est, quod data ea quantitate, æquinoctium non potuisset anticipare quindecim dies, nisi spatio annorum 2010. eos tamen anticipauit circa annum 1600, & ideo in correctione Kalendarij anni Alphonsini quantitas recepta est non tanquam vera, sed tanquam media maximam inter & minimam. *Anni Alphõsini quãtitas non potest esse perpetua.*

20. Infinita propemodum sphalmata ex huiusmodi fontibus in tabulas Ægyptij diducta sunt, quorum pauca, sed illustria sunt hæc. *Varij errores tabularum Ægyptij in Æquinoctiis.*

Hipparchus anno 145. ante Christũ, qui fuit in tabulis Ægyptiis 3839. Iulianus ab exordio mundi, obseruauit æquinoctium vernum in 24. Martij, idemque obseruauit iterum post annos vndecim, & tertio demum post annos 18. Ægyptius annis illis hoc æquinoctium collocat in 23, & 22. Martij. *Hipparchais.*

Iulius Cæsar in quarto suo Consulatu, qui Ægy- *Iulianis.*

tio est annus 3907. ab orbe condito, figit æquinoctium vernum in 25. Martij, Ægyptius refigit, ponitque in 22. eius mensis.

Ptolemaicis. Ptolemæus anno 132. à nato Christo reperit æquinoctium Autumnale in 25. Septembris, & anno Christi 140. Vernum in 22. Martij. Ægyptius post annos mille quadringentos videt Vernum in 21. Martij, & Autumnale in Septembris 23.

Nicænis. Anno Christi 324. decreto Concilij Nicæni instituitur Kalendarium, quo Ecclesia vsa est vsque ad correctionem Gregorij, & Æquinoctium Vernum collocatur in 21 Martii. Ægyptius inde reuocat ad 19.

Albategnianis. Anno Christi 883. Albategnius deprehendit Æquinoctium Autumnale in 24 Septembris. Ægyptius illud ipsum æquinoctium obseruat in 18. illius mensis. Hac in re horarum, & minutorum errori venia dari potest, at duorum, trium, quatuor, sex integrorum dierum errore duci, illaudatum omnino, & inexcusabile est.

Scaligeri locus causa erroris Ægyptio. At imposuit Aegyptio Scaliger, dicam nescio, an Scaligeri locus, qui libro tertio suorum canonum prolatis quinque æquinoctiis vernalibus ex obseruationibus Tychonis, ea sibi proponit pro virgula diuina. *Eorum*, inquit, *constantia facit, vt nullas recentiorum illis præferamus, omnes autem veterum ad eas exigamus*. Atque hinc intulit, ad eorum æquinoctiorum instar inuenienda esse æquinoctia omnia à capite ad calcem vniuersi.

Anni quātitas à Ty- Verum dupliciter hic peccatum est à Scaligero, & ab Aegyptio, primum, quod ex obseruationibus

Tychonis collegerunt, anni Tropici magnitudinem esse dierum 365.h.5.min. 49. quum Tycho illam aperte diffinierit dierum 365.h.5.m.48.‴45.

chone obseruata diuersa ab ea, quam Scaliger, & Ægyptius dicunt.

Deinde, quod omnium tam præteritorum quam futurorum temporum amussim, hanc esse voluerunt, quod tamen alienissimum fuit à mente eius Authoris, qui libro Progymnasmatum primo constituta anni æquinoctialis quantitate, ei præfixit hunc titulum. *Vera anni cælestis quantitas ad hæc prima sæcula respectu æquinoctiorum deducta.* Et post subiecit hæc verba. *Hæc deputata anni æquinoctialis quantitas, etsi à longissimis sæculis non sit deducta, quod quidem per se fuisset satius, & quoad minimas particulas magis exquisitum indubitatumque testimonium promereri videretur, nihilominus eam satis certam, & ratam pro centenariorum aliquot annorum decursu esse non diffidimus, tutius existimantes è centum saltem annorum interpositione per obseruationes perspectas, & in temporibus minime ancipites, eas deriuare, quam si è longissimis sæculorum interuallis per minus ratas animaduersiones, & temporum dubiam limitationem hanc peteremus; præsertim quum hisce sæculis particularem motus solaris restitutionē, adaptare, nostra sit intentio.* Hæc Tycho.

Tychonis obseruationes ad aliquot tamē sæcula directa.

Certe vero, quū de rebus à sua ætate remotis disputationē instituerūt viri solide docti, multò aliter loqui consueuere, quam nunc Ægyptius fecerit. Paulus Mildeburgēsis Episcopus Forosemproniensis vir sua ætate doctissimus, lib. 7. c. 1. Paulinæ suæ inuestigaturus diem Passionis Christi: *Reminisci conuenit*, inquit, *quod alibi diximus, Tabulas Alphonsinas, & alias tabulas ex eis extractas hac tempestate non esse idoneas pro motibus Planetarum inuestigandis. Immo in*

In calculo temporum Christi Tabulis Ptolemaicis vtendum.

quinque planetis aberrant nonnunquam in gradibus duobus vel tribus. Et licet in motibus luminarium minus à vero dissentiant, tamen non ad vnguem eos supputant, quanto minus ad annos natiuitatis Christi sufficientes erunt propter magnam temporis intercapedinem? Quamobrem erit tutius hæc indagare per tabulas Ptolemæi, qui fuit propinquior ætati Christi. Hæc Paulus.

22. Sed esto, errauerit Hipparchus in obseruatione æquinoctiorum, errauerint Ptolemæus, Albateginus, Copernicus, & cæteri omnes, castigandæque sint eorum obseruationes ex obseruationibus Tychonis ad modum Alphonsinum, vt castigauit Scaliger, putasne dies integros immutandos? absit. Hipparcheas castigauit Scaliger hunc in modum, cæterasque eadem proportione.

Quantum à Scaligero dissideat Aegyptius quem sequi se profitetur.

Aquinoctia	Hor.	Scrup.
1	1	43
2	3	42
3	4	58

Vnde vero Aegyptiacum illud tam immane discrimen?

23. Nemo opinor est, qui non videat, quicquid huiusmodi principiis consectarium est, id omne incertum, vanum, & prorsus falsum esse, idque ne Aegyptius quidem ipse si tantisper torqueatur, ibit inficias. Libro nimirum 4.c.17. loquens de apparitione Christi rediuiui, quando medius stetit inter discipulos, habet hæc ipsa verba. *Idque præcise fuit in die plenæ lunæ. Verissima enim tabularum Astronomicarum supputatio nobis demonstrat, in nocte illa eam fuisse in maiori sua plenitudine, & punctus oppositionis ipsius fuit in*

Tabulæ Aegyptij erronea ex confessione ipsius.

in sequenti mane feriæ secundæ, diei XIV Aprilis, ipsius anni Iuliani 3984, & 17 mensis Nisan eiusdem prædicti anni sacri 1531. At certum est, à puncto coniunctionis ad punctum oppositionis luminarium elabi dies 14. $\frac{5}{18}$ $\frac{1}{25}$ $\frac{11}{31}$ Quare oppositio fieri nequit post quintam decimam lunam: Quùm ergo, Ægyptio fatente, eo anno, eoque mense oppositio inciderit in feriam secundam; quintam decimam etiam feria secunda fuisse necesse est; die Dominico quartam decimam. Quomodo ergo XIV fuit feria sexta, quod est vnicum fundamentum huius erroris?

24. Adde, Ægyptium deceptum esse in computãdis omnibus Neomeniis anni sui primitiui. Quum enim Hebræi eas putarent non à die congressus cum Sole, sed à sequenti, qua Luna è radiis Solis egressa conspici potest, ipse à die congressus cum Sole eas omnes putauit. Eam rationem putandi Neomenias adhibitam fuisse Saluatoris, & maiorum ætate, constat ex Thalmud. cap. Ross. hassanà, & passim ex omnibus veterum Hebræorum scriptis, sed præsertim Rabbi Moysis Ægyptij, cuius verba sunt hæc. Tract. קדוש החדש hoc est de sanctificatione mensis c. 1. a. 3. *Singulis mensibus Luna biduo plus minus delitescit, vna circiter die ante, & altera post coniunctionem cum Sole, priusquam videatur in occidente; Nox qua primum conspicitur, principium mensis est, ab eaque numerantur dies xxix. si conspiciatur nocte xxx, trigesimus erit primus mensis sequentis, si non conspiciatur ea nocte, trigesimus primus à priori Lunæ conspectu erit primus insequentis mensis, neque refert conspiciatur an non nocte trigesimi primi, quando nullus mensis excedit triginta dies.*

Error Tabularum Ægyptij tertius in omnibus Neomenijs.

Hebræi Neomenias non putabant à die coniunctionis luminarium sed à sequenti.

Penultima die mensis, (si Hebræorum traditionibus fidem habeamus), à consessu Iudicum Vrbis sanctæ mittebantur testes fide digni ad cacumina altiorum montium speculatum primum Lunæ ortum, vt ex eorum fide Neomenia sanctificaretur; eisque iurantibus illam se corniculatam vidisse, & vel Australem, vel borealem, altiorem, seu depressiorem, dicebant iudices מקודש מקודש *Sanctificata est, Sanctificata est;* atque ita denunciabatur Neomenia. Et certè Ecclesiastici cap.43.habemus: *à Luna signum diei festi,* inuisa vero signum esse non potest. In libro Iohasin, & in libro cui titulus: *germen* Dauid, habentur hæc verba. *Rabbi* Hillel *Princeps concinnauit contextum computi annalis iuxta methodum* T*ekuphæ Rabbi Adda, propterea quod vsque ad tempora eius sanctificabant Neomeniam secundum visionem.* Antiquus liber, cui titulus Prædicatio Petri apud Clementem Alex. VI. lib.Stromaton. *Nisi luna apparuerit* (Iudæi) *non agunt Sabbathum, quod dicitur primum, neque agunt Neomeniam, neque azymos, neque festũ, neque magnũ diem.* Luna igitur, quam Ægyptius vocat secundam, fuit semper prima, & quæ illi XIV, Hebræis fuit semper tredecima. Fuerit igitur XIV à coitu luminarium feria illa VI, qua Christus mortuus est, vti contendit, Hebræis fuisset XIII non Paschalis.

Hebræi nullum mensem habuerunt dierum 31.

25. Huc accedit, quod communi Hebræorum antiquiorum & doctiorum consensu, falsum est, habuisse illos mensem vllum dierum vnius & triginta, & falsum pariter, annos intercalares vllas habuisse stationes sic fixas, quin refigi possent multas ob causas, qua de re audiendus est doctissimus

Maymonides lectione חדוש החדש cap. 4. a. 2. *Consistorium tribus potissimum ad intercalandum causis inducebatur, quæ erant, 1. Æquinoctium. 2. maturitas segetum. 3. & fructuum. Si sexta decima mensis Nisan aut sequentes dies incidissent in æquinoctium Vernum, intercalabant mensem; & qui fuisset Nisan, fiebat Adar secundus.* art. 3. *Si consistorium vidisset, neque tempus messis venisse, neque maturuisse fructus, qui tempore Paschali maturescere solent, intercalabant.* Addit art. 5. has alias causas; vias, quæ ad Vrbem ducebant, & pontes fractos, stagnantes fluuios, clibanos, quibus Agni coquebantur, dirutos, aliasque nonnullas. Et quòd maximi refert, art. XIII, non promulgabatur intercalatio citra necessitatem, nisi mense Adar, qui est anni duodecimus. Consentit Rabbi Aben Ezra in XXIII cap. Leuitici. *Mos Consistorij est, considerare in exitu omnis mensis Adar, vtrum necesse sit, intercalarem annum facere nec ne, & dicitur de* Magistro *Akiba, quod duos annos continuos embolimeos fecerit propter necessitatem.* Exemplum litterarum intercalatitiarum Consistorij erat huiusmodi. *Fratribus nostris filiis deportationum Babyloniæ, & fratribus nostris, qui sunt in Media, & reliquis omnibus deportationibus Israelis, Pax vestra augeatur in æternum. Notificamus vobis, quod pulli columbarum sunt teneri, & hædi pusilli, & quod tempus nouarum frugum nondum venit. Ideo placuit negotium coram me, & coram collegis meis, & adieci huic anno triginta dies.* Iam vero certum est, prima excepta, omnes causas intercalādi prorsus incertas & accidentarias fuisse, propterea frustra sudant ingenia, quæ demonstrationibus mathematicis per Cyclos, & è cœlis certò petunt supremum Pascha à Christo celebratum.

Mensium intercalarium apud Hebræos nullæ stationes fixæ.

Argumenta Ægyptij pro Cyclo suo. 26. Cæterum quia nihil est adeo absurdum, quin aliqua ratione possit suaderi: lib. 4.c.28 Ægyptius hunc sibi laborem suscepit, vt annum & Cyclum suum certis aliquot annorum sacrorum characteribus confirmaret. Quibus si eius tabulis euertendis quidquam excogitari possit validius, Lector iudicabit. *1. Argum.* Primo ait, creationem mundi cœpisse die Dominico; quod quidem verissimum est, sed luminaria feria quarta creata fuère, & ex eius sententia in Nouilunio. *Enodatur, & est contra scripturam.* Quare primum Nouilunium incidit in feriam quartam, non in Dominicam: ipse tamen offensurus in limine ponit primum Nouilunium in Dominica, & consequenter omnes luminarium syzygias quatriduò anteuertit.

2. Argum. 27. Secundo diem XVII secundi mensis egres-
» sionis ab Ægypto, quo manna pluit, fuisse feria
» quinta.

Pugnat cum scriptura, & Patribus. At illi refragantur Scriptura, & Patres. Scriptura, Exodi enim c. 16. commate 1. multitudo filiorum Israel venit in desertum Sin, die XV mensis secundi, & murmurauit contra Moysen & Aaron in solitudine. Commate 8. Moyses vespera carnes, & mane panē populo pollicetur. Commate 5. Vsque ad sextum diem quotidie, quantum sufficeret, sexta tantum die duplum mannæ ab omnibus colligi iubet. Commate 22, sexta die colligitur manna duplicata mensura; & commate 23, Moyses dicit, *Quodcunque operandum est, facite, & quæ coquenda sunt, coquite; quidquid autem reliquum fuerit, reponite vsque mane.* Commate 24 dixit Moyses, *comedite illud hodie, quia Sabbathum est Domini.* Si septima fuit Sabbathum; ergo prima

mannæ pluuia fuit XVI mensis, & Dominica; & consequenter die XVII, feria secunda, non quinta. Iure itaque inter priuilegia diei Dominicæ à Patribus Concilij Palæstini dictum fuit; *Tertiam illi benedictionem esse, quia eodem die cœlestis cibus manna hominibus datus est.* Eosque sequuti sunt Patres Synodi sextæ.

28. Tertio ait Ægyptius, diem XVII Regni Ezechiæ, & primam Regni Ioas fuisse Sabbatho, ab eis enim cultus diuinus restitutus est, qui restitui non poterat sine ministerio sacerdotum, quorum vices Sabbatho incipiebant. *3. Argum.*

Sed quanto in errore versetur, ipse se doceat, qui lib. 4. c. 2. verbis disertis scribit, restitutionem cultus sub Macchabæis incidisse in Dominicam: Immo ne prima quidem vice institutio sub Salomone Sabbatho facta fuit, si veræ sunt eius tabulæ. Durauit nimirum dedicatio templi 14 dies, & absoluta fuit 22 mensis VII, anni XI. Salomonis. 2. Paralip. 7. & 3. Reg. 7. 8. Prima mensis septimi eius anni in tabulis Ægyptij est XIV Septembris. Annus ille fuit intercalaris, & à VI Kal. Martij littera Dominicalis fuit A; affixa XIV Septembris est E, quare prima eius mensis fuit feria V. Quum ergo dedicatio cœperit octaua die, sequitur cœpisse feria quinta non Sabbatho. *Pugnat cum Ægyptio ipso.*

29. Quartum argumentum est 10. mensis quinti anni XI Sedeciæ, quæ fuit Sabbatho, ex Ierem. 1. & 2. Thren. *4. Argum.*

Cæterùm si aliquem alium Ieremiam non legit, hoc falsum est. Nam Ieremias, quem habemus, de Sabbatho ne verbum quidem. *Gratis & falso dicitur.*

5. Argum. 30. Quintum, quod dies Pentecostes anni XI Hircani fuit feria sexta ex Iosepho lib. 13. antiq. cap. 16. vbi grauissimè hallucinatus est, quum verba Iosephi eò loci sint ista. *Nam Pentecoste instabat post Sabbathum.* Anno igitur illo festum Pentecostes fuit post Sabbathum, non ante, feria prima, non sexta; in tabulis Aegyptij est feria sexta; erratum igitur ab eo est & grammaticè, & astronomicè.

Errat in Grammatica, & in Astronomia.

6. Argum. 31. Supremum testimonium est 14 mensis Nisan anni, quo Christus passus est, quæ fuit feria sexta.

Petit principium, & pugnat cum Authore suo.

Si quæro ab Aegyptio, vnde constet, diem qua Christus passus est, fuisse XIV Nisan, respondet, quia sic tabulæ docent. Si quæro, vnde constet, tabulas veras esse, respondet, quia dies, qua Christus passus est, fuit 14 Nisan; atque ita à primo ad vltimū per eū tabulæ veræ sunt, quia veræ sunt; & Christus passus est XIV, quia passus est XIV Nisan. At id falsum esse, vt paulò ante dixi, ipsemet scribit lib. 4. c. 17 asserens, Lunam fuisse in puncto oppositionis Feria II sequente. Hæc illa fundamenta sunt, quibus ingens earum tabularum moles sustentatur, hæ machinæ potiores, quibus oppugnatur Ecclesiæ dogma de Cœna Christi Paschali.

Diluuntur argumenta Græcorum. Ante diem festum Pascha.

32. Quæ verò pro Græcorum sententia refricantur ex Euangelio Ioannis, ea omnia facillimè diluuntur. Præcedenti capite duo à nobis demonstrata sunt. Primum. Dies anni Iudaici fuisse ciuiles, eósque cœpisse à noctis dimidio. Secundum. Festos dies cùm mensis tum hebdomadis illis fuisse, non eos à quorum vespera festa inchoabantur, sed eos, ad quorum vesperam desinebant. Sit exempli gratia

Sabbathum X mensis, incipient festum ad vesperam Parasceues, & diei nonæ; non tamen aut sextam hebdomadis, aut nonam mensis; sed septimam hebdomadæ, & mensis decimam festum diem dicent. Hinc etsi anno, quo Christus passus est, Pascha cœperat ad vesperam Feriæ V: dies tamen festus Paschæ non dicebatur nisi feria sexta sequenti, quæ non cœpit nisi à media nocte, post cœnam Christi supremam. Recte propterea S. Ioannes tempus illius cœnæ *ante diem festum Paschæ* fuisse, dixit.

33. Parasceue Græca vox est, Latinè reddita præparatio, & propria erat Sabbathi, eorúmque festorum, in quibus ne coquere quidem cibos permissum erat; pro festo enim preparabantur in festum. Quintadecima Nisan & Azymorum prima hoc iure non erat illigata, sic enim de ea Exo.12.16. *Nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent.* Ideo Parasceuen non habebat. Anno, quo Christus passus est, XV Nisan incidit in feriam VI; hinc contigit, vt simul esset & prima Azymorum, & Parasceues. Prima Azymorum quia XV primi, Parasceues, quia Pro Sabbathum. Totum octiduum azymorum (vt ante diximus) æuo Christi dicebatur Pascha, & festum Paschæ, & omnes illi dies, dies Paschæ. Act. 12. *Herodes rex apposuit, vt apprehenderet & Petrum, erant autem dies azymorum, quem cum apprehendisset, misit in carcerem quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo.* Rabbi Moses Aegyptius in Morè Nebuchin. *Primus dies Paschæ in quiete traducatur; similiter dies eiusdem festi septimus.* Immo 2. Paralip. 35.17. *Feceruntque filij Israel,*

Erat Parasceue Paschæ.

qui reperti fuerant ibi, Phase in tempore illo, & solemnitatem azymorum, septem diebus. Perinde igitur est dixisse Ioannem *Parasceuem Paschæ*, ac si dixisset diem præparatorium, non ad XV Nisan, sed ad Sabbathum festi Paschalis. Quod si quis primæ azymorum Parasceuem tribuere pergat, hunc sentire necesse est, prima azymorum nefas fuisse præparare, & coquere cibos, quod cum veritate Scripturæ apertè pugnat.

Vt manducarent Pascha.

34. Sacerdotes *non introierunt prætorium, ne contaminarentur, sed manducarent Pascha;* nimirum sacrificia Paschalia, quæ octiduo illo quotidie præter ordinem immolabantur, de quibus 2. Paralip. 35. *Dedit Iosias omni populo qui ibi fuerat inuentus, in Solemnitate Phase, agnos, & hædos, & reliqui pecoris triginta millia; boum quoque tria millia; Helcias, Zacharias, & Habiel Sacerdotibus ad faciendum Phase pecora commixtim duo millia sexcenta, & boues trecentos, Chonenias, Semeias, &* N*athanaël: cæteris* Leuitis *ad celebrandum Phase quinque millia pecorum, & boues quingentos.* Ioseph. antiq. lib. 3. cap. 9. *Per singulos dies azymorum Tauri iugulantur duo, aries vnus, agni septem, hæc holocaustoma fiunt, additúrque hædus pro peccatis in quotidianum epulum sacerdotibus.*

Erat magnus dies ille sabbathi.

35. *Erat magnus ille dies Sabbathi,* in cuius Parasceue Christus mortuus est, non quòd esset primus azymorum, sed quod esset XVI mensis Nisan, & azymorum secundus, in quo fiebat solemnis oblatio manipuli nouarum frugum, & vnde numerari debebant dies Pentecostes. Leuit. 23. 15. Deuter. 16. 9.

37. Apostoli arbitrati sunt, Iudam abiisse comparatum cibos; quia prima azymorum fieri permittebantur

tebantur quæcunque ad veſcendum pertinerent. Exod.12.

37. Non licebat quidem Iudæis ea die occidere quemquam; & ideo non occiderunt Chriſtum, ſed gentibus occidendum tradiderunt. *Nobis non licet interfiœre quenquam.*

Nulla igitur ratione probatum eſt, Chriſtum cruci affixum XIV die menſis Niſan, quando etiam natus fuiſſet menſe Martio, & paſſus anno 35. ea Aprilis die, qua contendit Ægyptiũs. Quàm verè tamen, & quàm ſolidè hæc ab eo aſſerantur, iam inquiro.

Non Martio, ſed Decembri Dominum natum eſſe.

CAP. IV.

1. TRADITIO antiqua eſt Chriſtum conceptum fuiſſe menſe Martio, natum Decembri & vtriuſque menſis vigeſima quinta. Clemens Romanus Conſtit. Apoſtolicar. lib.5.c.12. *Dies feſtos agitate fratres, ac primum quidem diem* Natalis Domini, *qui 25. die menſis noni celebretur.* Scripſiſſe Clementem (ſi tamen Clemens fuit, & non alius quiſpiá Conſtantini M. coæuus) Iudæogræcorum more, qui Macedonicis menſibus vtebantur, ſatis conſtat ex capitibus 13. & 16. ſequentibus; illo: *Cœperunt conſultare,* inquit, *contra Dominum feria ſecunda, menſe primo, qui appellatur Xanticus*; iſto: *Vos verò obſeruate diligenter conuerſionem Verni Aequinoctij, quæ incidit in 22. menſis XII, qui appellatur Dyſtros.* Si ergo Martius, in cuius 22. incidit æquinoctium Vernum, Clementi, & Ma- *Chriſtum conceptum xxv Martij, natum xxv Decembris. Clemens Romanus.*

cedonibus fuit duodecimus, & Aprilis primus, consequens est, ex sententia Clementis Decembrem fuisse mensem nonum, eiúsque 25 natalem Christi.

Iudæos græcè scribentes tempora putare solitos Macedonum more, colligitur ex Iosepho variis in locis. Antiq. lib. 1. c. 4. *Moses autem*, inquit, N*isan*, *qui est Xanthicus, mensem primum in suis fastis ordinauit*. Et lib 2. c. 5. *Iussit Mosen edicere populo, vt paratum habeant sacrificium xiii* Xanthici *mensis in xiv, qui apud Aegyptios Pharmuti vocatur, item* Hebræis N*isan, & Macedonibus* Xanthicus. Et lib. 3. c. 10. *Mense autem* Xanthico, *qui mensis* N*isan vocatur, & annum exorditur.* Et tandem lib. 6. de bello c. 4. *Azymorum instante die, qui est Aprilis mẽsis xiv.* Si ergo Xanthicus coincidit cum Aprili, mensem Romanis decimum Macedonibus nonum fuisse, necesse est.

S. Euodius. 2. Sanctus Euodius in Episcopatu Antiocheno successor S. Petri Epistola, quæ inscribitur *lumen*, apud Niceph. lib. 2. c. 3. *Peperit autem illius mundi lucem* (Virgo) *annum agens quindecimum vigesima quinta die mensis Decembris.*

S. Athanasius. 3. Sanctus Athanasius, aut quisquis est, ad Antiochum q. 54. *Quare vicesimo quinto die Martij in vtero Virginis clausus habitare cœpit Christus, & Deus noster veniens in terram? Responsio. quia eodem die in mundi principio Deus creauit Adam.* Hinc e*st*, *quod hoc ipso mense omnes arbores, & herbæ, animalia item ad proferendum fructum, & ad liberos procreandos commouentur, tanquam à Deo hoc tempore creata sint.*

S. Ambrosius. 4. Sanctus Ambrosius ser. 8. *Verum est, quod ait Sanctus Ioannes Baptista de Domino Saluatore, illum opor-*

tet crescere, me autem minui. Si quidem hoc etiam ipsis temporibus approbetur. Ecce enim in natiuitate Christi dies crescit, & Ioannis natiuitate decrescit. Jllo oriente lux proficit; hoc nascente minuitur. Et serm.10. *Bene quodammodo sanctum hunc diem natalis Domini solem nouum vulgus appellat, & tanta sui authoritate id confirmat, vt Iudæi etiam, atque Gentiles in hac voce consentiant.* Itaque æuo Ambrosij colebatur ab Ecclesia natalis Christi in 25. Decembtis, iámque recepta & inolita traditio erat, Saluatorem ea die natum.

5. Quod paulò expressius docuit Augustinus lib.de Trinit.4.c.5. *Sicut à maioribus*, inquit, *traditum suscipiens Ecclesiæ custodit authoritas, viii.* Kal. *Aprilis conceptus creditur Christus, quo & passus, natus autem creditur viii Kal.* Ianuarij. Ergo ætate Augustini Christus credebatur conceptus Martio, natus Decembri; neque fide priuata, sed publicâ, Ecclesia authoritate sua custodiente traditionem, quam acceperat à maioribus; cuius traditionis testis omni exceptione maior est Ecclesia Romana, vt ostendemus cap. sequenti. *S. Augustinus.* *Ecclesia Romana.*

6. Sulpitius Seuerus Ambrosij, & Augustini contemporaneus lib.2.hist.sac. *Sub hoc* Herode, *anno eius imperij tertio, & trigesimo Christus natus est, Sabino, & Ruffino Consulibus viii Kal.* Ianuarias. *Sulpitius.*

7. Prudentius: *Prudentius.*

Quid est quòd arctum circulum
Sol iam recurrens deserit?
Christus ne terris nascitur,
Qui lucis auget tramitem?

8. Chrysostomus orat. de natiu. S. Ioan. Baptistæ. *Chrysostomus.*

Quo die conceptus est Dominus, eadem die passus est, conceptus est enim mense Martio viii Kal. *Aprilis :* quod multò apertius asseruit orat. de die Christi natali, diem illam his verbis obsignans; N*on sunt nostra, quæ loquimur, maiorum sententia est.*

M.S. antiquum. 19. Io. Georgius Heruartius Chronologiæ c. 176. ex Codice m.s. Bibliothecæ S. Marci Florentiæ temporis Honorij primi refert hæc verba: *Apostolos tradidisse, Christum ex Virgine natum Bethelemæ 25 Decembris.*

Fasti Siculi. 10. Author Fastorum Siculorum, qui septimo sæculo tempore Heraclij scripsit, ad Consulatum Lentuli & Pisonis hæc habet: H*ac igitur die xxv. inquam Martij, vti Romani numerant, Catholica & Apostolica Ecclesia Dei, accepto more à diuinis Patribus, celebrat Sanctæ D.* N. *gloriosæ Deiparæ, & semper Virginis* M*ariæ Annunciationem; sexto igitur mense Elizabethæ, quemadmodum dictum est, xxv Martij, vti* R*omani vocant, hoc ipso die incipiente septimo mense, intemerata, ac benedicta, &c. Deipara Virgo Maria,*&c. *Christum verum Deum nostrum in vtero secundum humanitatem concepit.*

Catholicus Armeniorum. Catholicus Armeniorum in eo colloquio, quod habuit cum Theoriano orthodoxo, anno 1170. *Intellexeram*, inquit, *esse quandam de hoc orationem Sancti Epiphanij Cypri Episcopi, quam ipsam quoque non vidi. Aiunt enim D. Epiphanium, qui esset* H*ebræus natione, de litteris* H*ebræorum, & annalium scriptore* I*osepho affirmasse, natalem Domini 25 Decembris celebrandum. Cum eo consentire etiam dicunt ea scripta, quæ* T*itus* H*ierosolymis* R*omam deportauerit.*

Quare etſi Epiphanius in Panario Dominum natum aſſeruit VI. Ianuarij, re tamen penitius inſpecta, poſt mutauit ſententiam, monitus fortè à Hieronymo, qui in c. 1. Ezechielis eos inſectatur, qui Ianuarij ſexta, die Baptiſmo Chriſti ſancta natum in carne putabant. Mitto agmina Patrum [a] ſequentium ſæculorum, quos in vnam nobiſcum ſententiam conſpiraſſe, aduerſarij ipſi ſciunt, & confitentur.

11. At [b] Scaliger, cui vetera ſorduêre, quibuſdam leuiſſimis ratiunculis ſuaſus, contra totam antiquitatem menſe Februario natum enunciauit, eiúſque exemplo Ægyptius, [c] *vt agnoſcat originem ſuam profectus rei*, nec Decembri cum Romana, nec Ianuario cum Alexādrina, nec Februario cum [d] Scaligero ſuo; ſed partim ex Scaligero petitis rationibus, partim ex coniecturis ſuis, menſe Martio natum eſſe, conſtituit; cuius argumenta, an quidpiam ponderis habeant, nunc expendo.

12. Primum [e] argumentum. Quando Herodes interfecit filium Antipatrum, interfecit etiam Innocentes ex Macrob. 1. Saturn. c. 4. Quando interfecit Antipatrum, proximus erat morti, ex Ioſepho 17. Antiq. cap. 9. & 10. ergo quādo interfecit innocētes proximus erat morti. Mortuus eſt prope Paſcha, vt conſtat ex Ioſepho; ergo Innocentes occiſi prope Paſcha. Quando infantes occiſi, Chriſtus fere compleuerat annum ſecundum. Matth. 2. Chriſtus igitur prope Paſcha compleuerat annum ſecundum, & cónſequenter natus erat menſe Martio, qui eſt Paſchalis, non menſe Decembri.

Ad hoc argumentum duæ afferri poſſunt

Epiphanius.

Cæteri.

a *Paul. Oroſ. lib 7. c. 2. S. Leo ſerm. 1. de nat. Fulgen. ſer. 1. de S. Stephano. Caſsiodor. in pſal. 117. Greg. M. hom. 8. & 38. in Euāg. & lib. 4. Dialog. cap. 16. Anaſt. Nicæni. q. 92. in ſcript. Petr. Chryſol. ſer. 159. S. Bern. hom. 3. de nat. Dom. Beda de nat. rerū lib. 1. c. 29. Auctor. q. nou. & vet. teſtam. apud Aug. q. 53. & 55.*

b *Scaliger cōtrariæ aſſertor ſententiæ.*

c *Tertull. de præſcript.*

d *Ægyptius ſemiſcaligerianus.*

e *1. Argumentum eorum.*

Prima ſolutio.

Infantes ab Herode occisi anno primo Christi.

solutiones. Et primò quidem, infanticidium ab Herode patratum malè referri in annum à Christi natali secundum, quum Ecclesia Romana in præsepe Bethlemitico adoratum à Magis Dominum in officio Epiphaniæ profiteatur. Cuius sententiæ peculiares inter cæteros assertores habet tria Ecclesiæ lumina Hieronymum, Chrysostomum, Augustinum. Immo quia Ecclesia vniuersa in Oriente, in Occidente ex antiqua traditione & prædicat, & canit, Christum adoratum à Magis die Dominico VI Ianuarij, si sibi ipsa consentit, sentiat necesse est, adoratum à Magis anno primo natali, quum Dominica in VI Ianuarij non inciderit, nisi annis duobus, primo, & octauo ab eius natiuitate, vt solidissimis rationibus ostendam capite proximo. Herodes, Matthæo teste, infanticidium perpetrauit statim ac se illusum à Magis intellexit; igitur anno Christi primo, non secundo. Antipatrum interemit anno secundo, morte sibi iam imminente, non ergo innocentes simul cum Antipatro. Quare quocunque demum tempore Antipater occisus fuerit, hoc ad natale Christi nihil attinet, & si quis Herodis filius cum innocentibus fuit occisus, is Antipater esse non potuit.

Antipater Herodis filius occisus à Patre anno Christi 2. atque ideo non cum Innocentibus.

Etsi verò Sanctus Matthæus, *Herodem iratum occidisse*, scribit, *omnes pueros, qui erant in* Bethlem, *& in omnibus finibus eius à bimatu, & infra, secundum tempus, quod exquisierat à Magis*: Non tamen sequitur, Christum tempore eius necis bimulum fuisse. Potuit enim stella biennio affulgere ante natale Christi, & immota manere, quousque illum Virgo eniteretur,

eóque nato moueri cœpisse, quod nónnullis placet. Et potuit Herodes fraudem in Magorum dictis suspicatus, occidere omnes pueros à bimatu, vsque ad tempus, quo à Magis didicerat, Christum natum fuisse, vt etiamsi maior fuisset, quàm à Magis dictum fuerat, non euaderet. Quare verba illa Matthæi: *à bimatu & infra*, &c. sic interpretanda sunt. Pueros, qui nati erant à duobus annis ad Decembrem vsque, quo Magi Christum natum dixêre, Herodes interfici iussit.

8. Addiderim secundò, verba Macrobij, si expendantur, non id sonare quod Ægyptius putat. *2. solutio.* *Cum audisset*, inquit, *Augustus inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Judæorum intra bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait, Melius est Herodis porcum esse, quàm filium.* *Verba Macrobij.* Cæterùm Antipater dum Herodes morti proximus erat, non poterat esse bimulus, quum, Iosepho teste, esset primogenitus Herodis ex Doride coniuge Idumæa, quam ante omnes alias vxorem duxerat. *Antipater primogenitus Herodis.* Et si tempora accuratè putentur, quando Herodes ad septuagesimum, vitæque supremum vergebat, Antipater à quinquagesimo non longè aberat. Quare successor regni iure primogenituræ ante aliquot annos declaratus à Patre, *moræ impatiens de eius longæuitate apud matrem sæpenumero querebatur, dum etiam ipse consenesceret, vt non multum se iuuare posset tam sera successio.* *Ioseph. antiq. lib. 17. c. 6.* Si ergo inter infantes bimulos filius Herodis occisus, non fuit occisus Antipater, qui erat quadragenario maior. *Patre septuagenario grandæuus, cum bimulis non fuit occisus.* Aut ergo dicendum cum Philone Annij, bimulum hunc nothum aliquem Herodis fuisse, aut Macrobium fama

fuisse deceptum, quæ, vt vires acquirit eundo, sic post quadringentos annos ad Herodis crudelitatem exaggerandam, ferebat, inter infantes occisos ab Herode filium quoque eius fuisse, déque eo sic Augustum lusisse. Quum tamen non de puero bimulo occasione infanticidij, sed de filiis ætatis prouectæ id ioci dixisset Augustus, quorum duos iam maritos, & patres, Alexandrum, & Aristobulum vita priuauerat anno quadragesimo Iuliano ante diem Christi natalem. Neque prodigium est, hominem septuagenario minorem generare. Aristot. 6. de hist. anim. c. 6. *Mares plurimi ad sexagesimum generant. Quem si excesserint, ad septuagesimum vsque procedunt. Et iam quidam annos septuaginta nati genuerunt.* Idque quotidie fere videre est.

Iocus Augusti in Herodem de Aristobulo, & Alexandro non de Antipatro.

2. Argum. Scaligeri Hercules.

14. Quam secundo loco obiectionem vrget Ægyptius, ea Hercules est Scaligeri. Ioannes Baptista, inquit, conceptus est Decembri anni Iuliani 3949. At Christus conceptus fuit sexto mense post conceptum Baptistæ; ergo conceptus fuit mense Iulio. De sexto mense Conceptionis Christi à conceptu Ioannis habemus testimonium Angeli apud Lucam: *Et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis.* Conceptum Ioannem Decembri, colligit hunc in modum. Ioannes conceptus est paulò post quam Zacharias pater eius adoleuit incensum vti sacerdos de vice Abiæ, sed eo anno ministerium vicis Abiæ incidit in principium Decembris: ergo & conceptio Ioannis. In principium Decembris incidisse sic probat. Erant 24 Sacerdotum ephemeriæ, quæ de Sabbato in Sabbatum sibi inuicem succedebant, earúmque

carúmque octaua erat Abiæ 1. Paralip. 24. quas si „
computes à die restituti cultus sub Iuda Machabæo, „
quæ fuit 17 Septembris anni Iuliani 3791. Epheme- „
ria Abiæ deducet te ad 9 diem Decembris anni Iu- „
liani 3948. Ephemeriarum verò initium sumendum „
fuisse à vice Ioaribi, probat, quia & erat in ordine „
prima, & Machabæi principes cultus restitutores ex „
ea erant. „

In hoc tamen argumento, quod Scaligeriani ad *Emendatur.* sydera tollunt, multa assumuntur vt certa, quorum alia incerta sunt, nulláque ratione probata; alia leuissimis tantum coniecturis confirmata, quæ qua facilitate asseruntur, eadem refelli possunt. Primò si *Primus eius error.* Ephemeria Abiæ anno 3948 incidit in nonam Decembris, quæ est anni currentis Iuliani trecentesima quadragesima quinta, eodem anno inciderat etiam in diem eius 177, quæ fuit Iunij 26. quum centesimo sexagesimo quoque octauo die redirent vices ad eamdem familiam. Assumit verò Ægyptius, nec probat, ad Ephemeriam Decembris, non ad Ephemeriam Iunij referri debere visum Zachariæ.

15. Secundo assumit, conceptionem Ioannis in- *Secundus error.* cidisse in annum 3949 initio, quum tamen iuxta varias sententias de anno Christi natali incidere potuerit in 48. 47. 46. immo vero ex nostra in 45. & quia ex eius calculis familia Abiæ ministrare cœperat anno 3948, die 177, consequitur cœpisse etiam eodem anno nona Ianuarij, Anno 3947, Iulij 25. & Februarij sexta; Anno 3946 Augusti 22, & Martij 7. & anno demum 3945. 20 Septembris, quo anno nobis Ioannes conceptus est, & in sequenti Christus.

Tertius error. 16. Tertio Ministerium Sacerdotum minorum in illas 24 familias à Dauide tributum, quadruplex habuit initium. 1. Sub Salomone post dedicatum templum. 2. Sub Zorobabelle post 70. annum captiuitatis. 3. Sub Dario Persarum Rege, postquam anno eius sexto templum secundum dedicatum fuit. 4. Sub Iuda Machabæo, quando domus Dei, quæ sub Antiocho Epiphane, triennio ante profanata fuerat, purgata est, & cultus diuinus in pristinum restitutus. Prima vice cœptum ministerium à familia Ioaribi exploratum est, at vnde cœptum sit tribus sequentibus vicibus, & maxime postrema, incompertum existimo. Nam etsi Ioaribi erant primæ vices, ex eiúsque familia Machabæi, non tamen ideo aut lege aliqua (quod sciamus) aut consuetudine receptum erat, vt si quando series illa interrumperetur, præteritis familiis, quæ supererant, Cyclus à Ioaribo rursum inchoaretur. Neque æquum videri potest, vt vel renouatio cultus diuini, vel principatus Iudæ, cuiquam adimerent suum ius, quod ademissent, si illas familias, quæ triennio ante succedere debebant in ministerium diuinum, vicis illius iure spoliassent.

Quartus error. 17. His accedit, quod Ægyptius cum Scaligero existimat, Darium illum Persarum Regem, cuius anno secundo templum restitui cœpit, fuisse Darium Nothum, quod tamen difficillimum propugnatu est. Iesus enim Pontifex, & Zorobabel, quibus Ducibus anno primo Cyri Hebræi è Babylone educti fuerant, præsedisse dicuntur ædificationi templi sub Dario. At inter primum Cyri, & secundum No- *Aggæi c. 1. & 2.*

thi intercesserunt anni 118. Quare si Zorobabel, & Iesus annorum viginti erant (iuniores enim nemo opinor crediderit) primo Cyri, quo primùm in Iudæam venêre, secundo Darij Nothi fuissent saltem annorum 138. viuidi tamen adhuc, gerendísque rebus apprimè habiles; quod, considerata humanæ naturæ conditione, improbabilissimũ est. Hinc pauci Nothum, plerique omnes Histaspidem secundi templi Authorem fecêre, qui trigesimo tantum octauo anno post primum Cyri, sublatis Magis Persarum Rex inauguratus fuit. Eius Regis anno sexto templum dedicatum fuisse, ineunte Nisan, scribit Esdras lib. 1. c. 6. Inde ergo Cycli Ephemeriarum Sacerdotalium putandi essent, si hæc opinio sit vera, & in supputatione Scaligeri, & Ægyptij irrepsisset error annorum 98, qui inter sextum Darij Histaspis, & sextum Darij Nothi elapsi sunt. Et argumentationem adeo incertam, tantísque intricatam difficultatibus, quispiam demonstrationem appellet? Ecclesiæ traditionibus, adeoque ipsis fidei dogmatibus anteponat? Clam me non est, etiam Darium Histaspis sua vrgeri difficultate, nimirum quod Templi instaurator Darius ab Esdra inter duos Artaxerxes collocatur. Nothum verò Artaxerxes Longimanus prçcessit, Memor sequutus est, Histaspidem nullus Artaxerxes præcessit, sed duo huius nominis Reges sequuti sunt; ideo Templi instauratorem Nothum potius videri, quàm Histaspidem. Cæterùm quum Nothus rei, Histaspides nominis difficultate vrgeatur, nemo non grauiorem prætulerit leuiori, & qui sacris litteris versare solent, nó ignorant, argu-

menta à nominibus ducta, vt plurimum esse ficulnea. Eo maxime quod Herodotus lib. 6. asserit, Darium, Xerxem, & Artaxerxem Græcis esse aut sinonyma, aut ferè: quum duo priora, coërcitorem, bellatorémque significent, tertium bellatorem magnum. Quare mirum non est, si in alienum idioma translata, vnum acceptum pro altero fuit.

Quintus error. 18. Quinto assumit, annum Romanum ea forma, eáque magnitudine, qua Iulius Cæsar eum ordinauit, fuisse à tempore Machabæorum ad conceptum Ioannis, hoc est, ab anno 3791 ad 3948. qua hypothesi nihil falsius. Tacebo, quæ in Ægyptium è medijs Romanorum historiis peti possunt, & dicam duo, quæ ab ipsomet nobis suggeruntur. Libro quinto à cap. 13. ad 18. totus est in constituenda vera forma antiqui anni Romani, quem lunarem fuisse dicit, communem dierum 355 intercalarem, alterum quidem 385. alterum verò 386. Cyclo annorum duodecim ita dispositum, vt tertiò quoque anno mensis vnus intercalaretur, semel dierum triginta, ter vnius supra triginta. Hæc c. 14. & 15. cap. vero 16. & 17. amore, odio, auaritia Pontificum, quorum erat intercalare, perturbatam, & peruersam fuisse veram annorum constitutionem, vt quatuor anni vices loco deturbatæ suo iam alienos menses occupassent. Quare Iulius Cæsar constituturus annum ad cursum Solis, inter Nouembrem & Decembrem, duos integros menses intercalare coactus est Hæc Ægyptius.; & non veretur tamen prædicare antiquos annos Romanos semper illos ipsos fuisse, quos Cæsar instituit; idque tribus Iosephi locis lectori persuasum vult.

19. Primus ex c.9.lib.7. de bello, diem illam, qua templum à Nabuchodonozoro exustum fuit, ad diem respondet 10 Augusti anni Iuliani, *in quo perspicitur*, in quit, *ipsum rationem suam habere, ac si annus ille semper ab antiquo fuisset, & sic inuenitur esse.*

Nouissimus error duobus confirmatur erroribus.

Hic verò non possum non desiderare huius Authoris fidem, qui Iosepho tribuit, quod ne per somnium quidem vnquam illi venit in mentem, cuius verba eo loci sunt ista: *Nam & mensem, vt dictum est,* (loquitur de excidio templi per Titum) *eúmque diem seruauit, quo primum à* Bab*ylonijs templum erat incensum.* Mensem quidem quintum fuisse illum, quo sub Nabuchodonoxoro à Babyloniis templum euersum est, duobus in locis apertè scriptura testatur 4. Reg. 25. & Ierem. 52:28. At de die non ita explorata res est. Quartus Regum septimam, Ieremias decimam, Antiqua Hebræorum Kalendaria nonam, Iosephus antiq.10.c.11. primam dicunt; sed fuisse vel septimam, vel decimam, vel septimâ excidium cœpisse, finisse decima necesse est. Iosephus enim, & Kalendaria errare possunt, scriptura non potest. At quacunque demum die mensis quinti à Tito euersum fuit, ea etiam à Nubuchodonoxoro euersum fuisse, vna, & constans omnium sententia est. Quod vero eadem anni Romani die vtrumque excidium contigerit, neque dictum cuiquam, neque cogitatum, neque si tabulas Ægyptij consulamus, verum erit. Conflagrauit sub Tito X Augusti, Consulibus Imp. Vespasiano iterum, & Tito Cæsare, quo anno in Tabulis Ægyptij habemus primam mensis quinti in 26. Iulij. Propterea quæ fuit quinti septima, ea fuit Augusti

Error primus.

prima, & quæ fuit Augusti decima, ea fuit septima decima quinti. Si ergo tempore primi excidij Augustus concurrebat cum quinto Hebræorum, & tempore secundi non concurrebat, sed septiduo Augustum quintus anteuertebat, fieri non potest, vt vtraque vice euersum sit X. Augusti die, quum vtraque vice eadem Quinti die euersum sit.

» 20. Secundus Iosephi locus est ex cap. 12, eiusdem
» libri, *quod dies XV. mensis primi Nisan festiuitatis azy-*
» *morum anni sacri 1564. illius belli principium ad diem res-*
» *pondet 8. Aprilis anni Iuliani 4017. & sic inuenitur esse.*
» Tertius ex cap. 18. libri secundi, *quod septimus dies*
» *Septembris incidit in Sabbathum, & sic inuenitur esse.*

Ad secundum respondemus, nihil esse certius, quàm in numeris interdum ex falsis colligi posse verum; si enim quod vni adimitur alteri adiiciatur, semper ex omnibus consurget eadem summa. Adde, neque errare semper qui digitis micant, & qui taxillis ludunt, quando tamen collimant, casu collimant. *Quatuor tali iacti casu Venereum efficiunt, num etiam centum Venereos, si cccc talos ieceris, futuros putas?* Cicer. 1. de diuin.

Error secundus. Tertius locus (verum fateor) mihi risum extorsit. Probare vult, Romanorum annos fuisse semper ea forma, eáque magnitudine, qua eos Cæsar instituit, & probat, quia annus euersę vrbis sanctę (qui scilicet ex eius Tabulis fuit 113 Iulianus) sic institutus erat. Egregium planè argumentum, & Cedro dignum.

Quo anno, mense, & die Dominus passus sit, ex antiqua (quanquam deserta) Ecclesiæ Traditione, quæ à Chronologorum, Iudæorum, Astronomorum, & Dionysianorum obiectionibus vindicatur.

CAP. V.

1. CONSTANS & antiqua Ecclesiæ Catholicæ Traditio est, Christum passum esse anno trigesimo quarto labente ætatis suæ, de qua sic Beda. lib. de Temp. rat. c. 45. *Habet*, inquit, *ni fallor, Ecclesiæ fides, Dominum in carne paulò plus quàm triginta tres annos vsque ad sua tempora Passionis vixisse.* *Christum passum 34 ætatis anno.* *Testimonium Bedæ de fide Ecclesiæ.*

Manuscriptus Codex Bibliothecæ S. Marci Florentiæ temporis Honorij Primi testatur, inter alia Apostolos tradidisse, *Christum mansisse in hac vita annos 33. menses tres.* *M.S. de Traditione Apostolica.*

S. Ignatius Ioannis discipuli Domini Auditor ep. ad Trallianos. *Et expletis tribus annorum decadibus, baptizatus est à Ioanne, verè, ac non opinione, & tribus annis prædicato Euangelio, ac factis signis, & prodigijs, tandem à Pseudo Iudæis, & Pilato Præside iudicatus est, mortuus, & sepultus.* Compleuerat annum 30. quando baptizatus est, tribus integris annis prædicauit, illisque elapsis, crucifixus est; itaque anno 34 iam labente. *S. Ignatius.*

S. Euodius sancti Petri discipulus epist. quæ inscribitur Lumen, apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. *Peperit autem mundi ipsius lucem annum agens quindecimum* *S. Euodius.*

25 Decembris. Deinde annos peregit triginta tres, quos etiam æternum, & antesæculare Verbum, & filius eius egit in terris.

Io. Chrysostomus. Fasti Siculi. Nicetas. Græci, Latini passim.

S. Ioannes Chrysostomus in sermo. de B. Io. Baptista. Author Fastorum Siculorum, Nicetas, Græci scriptores Græcam certe Ecclesiam sequuti, Aurelius Cassiodorus, Marianus Scotus, Otho Fritingen. Hermannus Contractus, & vniuersa Chronographorum cohors trigesimo quarto ætatis anno Dominum passum scripsêre.

Anno xv. Tiberij Consulib. Geminis.

2. At quibus Consulibus, & quo anno Tiberij crucem pro salute nostra subierit, quæstio paulò intricatior est. Antiquitas tamen in Consulatum duorum Geminorum, in quem incidit annus quintus decimus Tiberij, multò quàm in alios propensissima est. Tertullianus in libro contra Iudæos. *Passio perfecta est sub Tiberio Cæsare Consulibus Rubellio Gemino, & Rufio Gemino.* Iulius Africanus apud Hieron. in 5. c. Danielis. Inde (à fine regni Macedonum) *vsque ad xv annum Tiberij Cæsaris, quando Christus passus est, numerantur anni sexaginta.*

Tertullianus.

Africanus.

Hippolytus.

S. Hippolytus Episcopus & Martyr descripsit antiquum Iudæorum Cyclum annorum sedecim perpetuo in se recurrentium. In eóque testatum reliquit, primum Imperij Alexandri incidisse in primum eius Cycli annum, & Passionem Christi in annum vltimum eius, VIII Kal. April. & Feriam VI. Si à primo Alexandri Cyclus in anteriora reuoluatur, annus signatus characteribus Passionis incurret in Consules Geminos. Anonymus author breuis cuiusdam Chronici ab exordio mundi ad XIII eius-

Anonymus Hippolyti contemporaneus.

dem

dem Imperatoris, lib. 1. c. 17. *A Paßione Christi*, inquit, *vsque ad hunc annum, qui est xiii Alexandri, anni ccvi.* Tot ad vnguem anni sunt à Consulatu duorum Geminorum ad XIII Alexandri. Lactantius diuinar. instit. lib. 4. c. 10. *Sub Herode Iudæorum Tetrarcha anno xv Imperij Tiberij Cæsaris.* Et cap 14. *Zacharias adoleuit Darij, & Alexandri ætate annis 500 ante annum xv Imperij Tiberij Cæsaris, quo Christus crucifixus est.* *Lactantius.*

Apud præstantissimum Senatorem Aquensem Nic. Fabricium Peiresci dominum antiquæ sunt membranæ, in quibus Catalogus Pont. Romanorum à Petro ad Liberium in initio sic habet: *Imperante Tiberio Cæs. passus est Dominus N. Iesus Christus duobus Geminis Coss.*

Sulpitius Seuerus lib. hist. sac. 2. *Dominus crucifixus est Fusio Gemino, & Rubellio Gemino Consulibus.* Augustinus lib. de Trinit. 18. c. vlt. *Mortuus est Christus duobus Geminis Cõsulibus.* Clemens Alex. 1. Strom. *Quintodecimo ergo anno Tiberij, & xv Augusti implentur 30 anni vsque ad tempus, quo passus est.* Georgius Cedrenus. *Tempus etiam passionis à Romanis exactius designatur, nam in Consulatu Gemini passum esse significarunt.* Et demum Euangelium, quanquam apocryphum, antiquissimum tamen, quo vtebantur Gnostici apud Irenæum lib. 2. c. 28. *Commentarius eorum, quæ facta sunt in D. N. Iesum Christum sub Pontio Pilato &c. anno quinto decimo Imperij Tiberij Cæsaris, &c. sub Consulatu Rufi & Rubellionis.* *Sulp. Seuerus.* *Augustinus.* *Clem. Al.* *Cedrenus.* *Euangelium Nicodemi.*

3. His adiungendi sunt, qui etsi neque Consules Geminos, neque annum XV. Tiberij expresserunt, Dominum tamen passum scripserunt annorum tri- *Alij nouem Patres.*

ginta. Quorum ex numero ſunt Origenes [a], Apollinaris [b] Laodicenus, Hieronymus [c], Philaſtrius [d], Idacius [e], Bernardus [f], Chryſologus [g], Haimo [h], & ſunt demum qui in hac ſententia etiam Sedulium fuiſſe exiſtimant, ex quo canit Eccleſia [i]

Luſtris ſex qui iam peractis,
Tempus implens corporis,
Se volente natus ad hoc
Paßioni deditus
Agnus in cruce leuatur
Immolandus ſtipite.

Recepta itaque, vt vides, antiquiorum Patrum ſententia fuit, Chriſtum paſſum eſſe conſulibus Geminis, eorúmque animis altis adeo infixa radicibus, vt plerique aſſerere maluerint, paſſum eſſe illum annos natum triginta, quàm inde recedere.

4. Hic tamen annus Tiberij, & hi Conſules duas habent difficultates, alteram teſtimonium Sancti Lucæ, qui c. 2. aſſerit, *Chriſtum*, (quem poſt baptiſma quatuor Paſchata celebraſſe, conſtat ex Euangelio), *baptizatum fuiſſe anno quinto decimo Imperij Tiberij Cæſaris, cum eſſet incipiens quaſi annorum triginta.* Alteram, quòd publicis Faſtorum omnium tabulis teſtatum videmus, anno quintodecimo Tiberij Conſules fuiſſe Geminos duos. Propterea paſſio in Conſulatum Geminorum duorum conferri non poſſe videtur, niſi quis aut contra Traditionem Chriſtum vixiſſe tantum annos triginta, quod plerique fecere; aut contra totam antiquitatem non anno quintodecimo, ſed decimo octauo, vel decimo nono Tiberij duos Geminos Conſules fuiſſe, aſſertum eat.

a Tract. 35. in Matth.
b Apud Hieron. c. 9. Dan.
c Ep. 22.
d Con. hæreſ. c. de annis Christi.
e Collect. chronolog. c. 34.
f Serm. 2. de ver. Apoſt.
g Serm. 2. de Chriſti in Ægyp. fuga.
h In Matth. c. 2.
i Domin. Paſsionis.

Difficultates duæ in hoc Conſulatu.

Torsit semper locus hic omnes scriptores, vicissimque tortus ab eis, & retortus est, nullus tamen hactenus fuit, qui conciliarit quintumdecimum annum Tiberii, & Consulatum duorum Geminorum cum trigesimo quarto. ætatis Christi. Vnus Ioannes Georgius Heruartius vir plane eruditus id facere aggressus est, sed inani conatu, vt dicam, quanquam sua laude fraudandus non est, quòd aliqua viderit, quæ ante eum nemini prorsus fuerant obseruata. Et prima quidem fronte paradoxum videtur, fateri, Christum baptizatum esse anno ætatis suæ trigesimo primo labente, & passum trigesimo quarto; fateri trigesimum Christi fuisse Tiberii quindecimum, eoque fuisse Consules Geminos duos, & nihilominus propugnatum ire, quod Christus passus sit anno quintodecimo Tiberii, Consulibus Geminis. Id tamen verum est, & illud est, quod ego nunc explicandum suscipio. *Nunquam soluta.* *Tentata ab Heruartio.*

5. Tiberium imperasse ne dum solum, sed & cum Augusto annis aliquot, scripserunt Paterculus, Tranquillus, & Tacitus; sed Tacitus Imperium ei collatum putat eo ipso tempore, quo ab Augusto adrogatus est, & ascitus in familiã Cæsarum; Tranquillus decennio post, nimirum post actum de Pannonia, & Dalmaltia triumphum, anno vitæ Augusti supremo, Paterculus inter adrogationem & triumphum. *Tiberium imperasse & solum, & cum Augusto.*

Tacitus annalium primo post mortem Caï, & Lucii Cæsarum, *Nero solus*, inquit, *è priuignis erat, illuc cuncta vergere, Filius, Collega Imperij, Consul, Tribunitiæ potestatis adsumitur, omnésque per exercitus ostentatur.* *Tacitus.*

Trāquillus.

Tranquillus in Tiberio c. 20. *à Germania in Urbem pòst biennium regressus, triumphum, quem distulerat, egit. 21. Ac non multò post, lege per Consules lata, vt Prouincias cum Augusto communiter administraret, simúlque censum ageret, condito lustro in Illyricum profectus est.*

Paterculus.

Paterculus lib. 2. post narratam vindictam Varianæ cladis, anno ab adrogatione quinto, & sexto. *Eadem*, inquit, *virtus & fortuna subsequenti tempore ingressa animam Imperatoris* Tiberij *fuit, quæ initio fuerat*, &c. *Et Senatus Populusque Romanus postulante patre eius, vt æquū ei ius in omnibus* Prouincijs, *exercitibusque esset, quam erat ipsi, decreto complexus esset (etenim absurdum erat non esse sub illo, qui ab illo vindicabantur, & qui ad opem ferendam primus, ad vindicandum honorem non iudicari parem.) In vrbem reuersus, iam pridem debitum, sed continuatione bellorum dilatum ex Pannoniis, Dalmatiisque egit triumphum.* Quo in dissidio nemo non steterit à Paterculo, qui cum Tiberio vixit, militauit, & Præfectura, Quæstura, legatione, Prætura, Augusto deferente functus, omnium, quæ de Tiberio scripsit ad XVI vsque annum ab excessu Augusti, fuit testis oculatus. Inquirendum tantummodo est, quoto post adrogationem anno id factum narret.

Paterculus alijs præferendus.

Initium Imperij Tiberij Augusto viuente, anno post adrogationem octano.

5. Bellum, quod in Germania, Pannonia, & Dalmatia gessit Tiberius, per æstates, & hyemes à Paterculo sicut Peloponnesiacum à Thucydide digestum est, quo ordine eius verbis dicam.

Cap. 13. Prima æstas.

Itaque quod post Lucij mortem, adhuc Caio viuo facere voluerat, cóque repugnante vehementer Nerone, *erat inhibitus, post vtriusque adolescentium obitum facere perseuerauit, vt, & Tribunitiæ potestatis consortionem* Neroni

constitueret, multum quidem eo cùm domi, tum in Senatu recusante, & cum Ælio Cato *&* Sentio Consulibus *quinto* Kal. Iulias *post urbem conditam annis septingentis quinquaginta quatuor, ab hinc annis viginti septem adoptaret.* Cap. 104. N*on diu vindicem, custodèmque* Imperij *sui morata in Vrbe Patria protinus in* Germaniam *misit.* Cap. 105. N*eque verbis exprimi, & fortasse fidem vix mereri potest; intrata protinus Germania, subacti Caninefates, Actuani, Bructeri, recepti Cherusci, gentes; & amnis mox nostra clade nobilis transitus Visurgis, penetrata ultiora. Anni eius æstiua usque in mensem Decembrem producta immanis emolumentum fecere victoriæ.*

Pietas sua C*æsarem, pene obstructis hyeme alpibus, in urbem retraxit.* *Prima hyems.*

Eum veris initio reduxit in G*ermaniam, in cuius medijs finibus ad caput* I*uliæ fluminis hyberna digrediens princeps locauerat. Prò Dij boni quanti voluminis opera insequenti æstate sub Duce* T*iberio Cæsare gessimus? Perlustrata armis tota Germania est, victæ gentes penè nominibus incognitæ, receptæ* C*auchorum nationes, fracti Longobardi, gens etiam* G*ermana feritate ferocior, denique quod nunquam antea spe conceptum, nedum opere tentatum erat, ad* 400 *milliarium à* R*heno usque ad flumen Albin, qui Senonum,* H*ermundorúmque fines præterfluit, Romanus cum signis perductus exercitus.* C.106. 2. *æstas.*

Victor omnium gentium, locorúmque, quos adierat Cæsar cum incolumi, inuiolatóque; & semel tantummodo, magna tamen clade hostium fraude eorum tentato exercitu, in hyberna legiones reduxit, eadem, qua priore anno, festinatione Vrbem petens. C. 107. 3. *hyems.*

N*ihil erat iam in* G*ermania, quod vinci posset, præter* Cap. 108.

gentem Marcomannorum, quæ Maroboudo Duce excita ſedibus ſuis, atque in interiora refugiens incinctos
Cap 109. *Hercinia ſyluæ campos incolebat.* Cap. 109. *Hunc virum,*
3. æſtas. *& hanc regionem proximo anno diuerſis è partibus Tiberius Cæſar aggredi ſtatuit.*Cap. 110. *Rumpit, interdum moratur propoſita hominum fortuna.*
Cap. 110. *Præparauerat iam hyberna Cæſar ad Danubium, admotóque exercitu, non plus*
Pannoniæ & Dalmatiæ defectio. *quàm quinque dierum iter à primis hoſtium Saturninum admoueri placuerat, cum vniuerſa Pannonia inſolens longæ pacis bonis, & adulta viribus Dalmatia, omnibus tractus eius gentibus in ſocietatem adductis, ex conſtituto arma corripuit. Tum neceſſaria glorioſis præpoſita, neque tutum viſum, abdito in interiora exercitu vacuam tam vicino hoſti relinquere Italiam.*
Cap. 111. Cap. 111. *Itaque vt præſidium militum Reſp. ab Auguſto Ducem in bellum popoſcit Tiberium,*
3. hyems. *quas nos primo anno acies hoſtium vidimus? quantis prudentia Ducis opportunitatibus furentes eorum vires vniuerſas euaſimus partibus? qua prudentia hyberna diſpoſita ſint? quanto opere incluſus cuſtodijs exercitus noſtri, ne qua poſſet erumpere, inopſq; copiarum, & intra ſe furens viribus hoſtis elangueſceret?*

Cap. 112. 4. æſtas. *Fœlix euentu, fortis conatu prima æſtate belli Meſſalini opus mandatum eſt memoriæ,* &c.

Cap. 113. 4. hyems. *Et ipſe aſperrimæ hyemis initio regreſſus Sciſciam, legatos, inter quos ipſi fuimus, partitis præfecit hybernis.*

Cap. 114. 5. æſtas. *Sed in ſequenti æſtate omnis Pannonia reliquiis totius belli in Dalmatia manentibus pacem petiit.*

5. hyems. *Autumno victor in hyberna reducitur exercitus.*

Cap. 115. 6. æſtas. *Initio æſtatis Lepidus educto hybernis exercitu, pergẽtes integras,* &c. *Illa æſtas maximi belli conſummauit effectus.*

Cõfirmat hoc trienniũ belli Dalmatici Tranquillus

in Tiberio, c.xx. sequitur Paterculus. Cap. 117. *Tãtum quod vltimam imposuerat Pannonico, ac Dalmatico bello Cæsar manum, cum intra quinque consummati tanti operis dies, funestæ ex Germania epistolæ, Cæsi Vari, trucidatarúmque legionum trium, totidemque alarum, & sex cohortium.* Cap. 120. *His auditis reuolat ad patrem Cæsar perpetuus patronus Romani Imperij, assuetam sibi causam suscipit, mittitur ad Germaniam, Gallias confirmat, disponit exercitus, præsidia munit. Arminio territo, quem arguisse pater, & Patria contenti erant, penetrat interius, aperit limites, vastat agros, vrit domos, fundit obuios, maximáque cum gloria incolumi omnium, quos transduxerat, numero, in hyberna reuertitur.* *Clades Variana.* *Cap. 120.* *6. hyems.*

Eadem & virtus, & fortuna subsequenti tempore ingressa animam Imperatoris Tiberij fuit, quæ initio fuerat, qui concussis hostium viribus, classicis, peditúmque expeditionibus, quum res Galliarum maxime nobis accensásque plebis Viennensium dissensiones coërcitione magis, quàm pœna mollisset, & Senatus, populúsque Romanus, postulante patre eius, vt æquum ei ius in omnibus prouinciis, exercitibusque esset, quàm erat ipsi, decreto complexus esset, (etenim absurdum erat, non esse sub illo, quæ ab illo vindicabantur, & qui ad opem ferendam erat primus, ad vindicandum honorem non iudicari parem) in vrbem reuersus iam pridem debitum, sed continuatione bellorum delatum ex Pannonijs, Dalmatiisque egit triumphum. *Cap. 121.* *7. æstas.*

6. Deserit quidem hic nos Paterculus septima nimirum æstate, neque æstatis, hyemisue deinceps mentio vlla. Quare aliunde arcessenda testimonia temporis, quod ad imperium vsque à Tiberio susceptum reliquum fuit. Dio Cassius lib. 56. *Anno sequenti* *Paterculus deserit in septima æstate belli.*

Tiberius ædem Concordiæ sacrauit inscripto suo, & fratris Drusi pridem vita functi nominibus. Qui Consules anno illo sequenti fuerint, è vestigio subiecit. *M. Æmilio Lepido, Statilio Tauro Consulibus, Tiberius, & Germanicus impressionem in Germaniam fecerunt.* Fuit verò hoc octauum Consulum par à Cato, & Saturnino. Templum Concordiæ à Tiberio dedicatum post triumphum, scripsit Tranquillus. *A Germania in vrbem post biennium regressus, triumphum, quem distulerat, egit. Dedicauit, & Concordiæ ædem; item Pollucis & Castoris, suo, fratrisque nomine de manubiis.* Annus acti Triumphi, & dedicati Concordiæ Templi fuit secundus à clade Variana, & ab egressu Tiberij ex Tranquillo, atque ideo octauus ab adoptione. Imperium Tiberio delatum fuit post septimam æstatem ab adoptione, & ante Triumphum ex Paterculo; igitur octauo ab adrogatione sua Tiberius consors imperij Augusto factus fuit, M. Æmilio Lepido, & T. Statilio Tauro Cõsulibus. Quod si his Consulibus Tiberius suscepit imperium, & Augustus decessit Consulibus duobus Sextis, annis quatuor Tiberium cum Augusto regnasse necesse est, quum inter illos Consulatus sint tria Consulum paria.

Imperium Tiberio collatum anno post adrogationem octauo.

7. Confirmat hanc supputationem testimonium Dionis lib. 56. qui quum adoptionem Tiberij constituisset in anno V.C. 757 ad annum 765 nonum scilicet ab adrogatione hæc habet: *At verò Augustus senectute iam grauis, Germanicum Senatui, Senatum Tiberio commendauit.* Quod non fecisset, nisi Tiberius princeps iam declaratus fuisset, vt quæ esset proportio Senatus ad Germanicum, ea esset Tiberij ad Senatum.

8. Heruar-

Heruartius nullum non mouet lapidem vt persuadeat, Tiberium imperasse post excessum Augusti annos tantum vnum & viginti, duos Augusto viuente, totum principatum Tiberij, tam ante, quàm post obitum Augusti concludens annis illis tribus, &viginti vulgatis. At quàm frustra, docent duo eius Imp. monumenta. Tiberij sepulchrum ita inscriptum est, *Heruartij inanis conatus.*

OSSA
TI·CAESARIS·DIVI· AVG· F·AVGVSTI *Apud Gruterum pag. 236.*
PONTIFICIS MAXIMI
TRIB. POTEST XXXIIX IMP.
VIII. COS. V.

9. Onuphrius in Fastis meminit huius nummi aurei, qui, vt apparet ex titulo Diui, si non post, saltem eo ipso anno cusus est, quo Augustus decessit:

TI.CÆSAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS IMP.
VIII. TRIB. POTEST. XVI.

10. Sedecimo Trib. potestatis Tiberii Augustus decessit, trigesimo octauo Trib. Pot. suæ Tiberius mortuus est; ergo annis fere tribus & viginti Tiberius Augusto superuixit, atque ideo si quid cum Augusto regnauerit, id ante annum ab adoptione XI. quærendum est, vti fecimus nos, non post, vt Heruartius, quemadmodum ex subiecto diagrammate videre est.

Consules.	Anni adoptionis.	Trib. potest.	Imperij ab Augusto primum suscepti.	Ab excessu Augusti.
Catus,& Saturninus	1	6		
Messalla,& Cinna	1.2	6.7		
Lepidus,& Nepos	2.3	7.8		
Nerua,& Silanus	3.4	8.9		
Camillus,& Quinctilianus	4.5	9.10		
Sabinus,& Camerinus	5.6	10.11		
Dolabella,& Silanus	6.7	11.12		
Lepidus,& Taurus	7.8	12.13	1	
Germanicus,& Capito	8.9	13.14	1.2	
Nepos,& Plancus	9.10	14.15	2.3	
Sexti duo	10.11	15.16	3.4	1
Drusus,& Norbanus	11.12	16.17	4.5	1.2
Sisenna,& Libo	12.13	17.18	5.6	2.3
Ruffus,& Flaccus	13.14	18.19	6.7	3.4
Tiberius,& Germanicus	14.15	19.20	7.8	4.5
Silanus,& Balbus	15.16	20.21	8.9	5.6
Messalla,& Cotta	16.17	21.22	9.10	6.7
Tiberius,& Drusus	17.18	22.23	10.11	7.8
Galba,& Agrippa	18.19	23.24	11.12	8.9
Pollio,& Vetus	19.20	24.25	12.13	9.10
Cathegus,& Varro	20.21	25.26	13.14	10.11
Isauricus,& Agrippa	21.22	26.27	14.15	11.12
Getulicus,& Sabinus	22.23	27.28	15.16	12.13
Crassus,& Piso	23.24	28.29	16.17	13.14
Silanus,& Nerua	24.25	29.30	17.18	14.15
Gemini duo	25.26	30.31	18.19	15.16
Quartinus,& Longinus	26.27	31.32	19.20	16.17
Tiberius,& Seianus	27.28	32.33	20.21	17.18
Domitius,& Vitellius	28.29	33.34	21.22	18.19
Galba,& Scylla	29.30	34.35	22.23	19.20
Persicus,& Nepos	30.31	35.36	23.24	20.21
Gallus,& Nonianus	31.32	36.37	24.25	21.22
Lælianus,& Gallienus	32.33	37.38	25.26	22.23
Proculus,& Nigrinus	33	38.39	26.27	23

Mira ergo res est quod Deckerius & Suslyga annos Trib. Pot. Tiberij putatos fuisse dicant à Consulatu duorum Sextorum post excessum Augusti; quum Tiberius ipse illis Coss. annum decimum sextum numeraret.

Vides itaque Tiberium Augusto corregnasse annis quatuor, solum regnasse annis viginti duobus, & parte vigesimi tertii.

11. Consueuisse annos Tiberii, vt aliorum Imperatorum apud veteres putari interdum etiam à tempore Principatus primum suscepti, testis est Clemens Alexandrinus 1. Strom. qui Tiberium regnasse scribit annis XXVI mensibus sex, diebus viginti nouem. Quum enim vno scriptorum omnium, monimentorum omnium consensu certum sit, post Augustum vixisse illum annos tantum XXII menses sex, & dies 26. quadriennium illud, quo abundat Imperium eius apud Clementem, necessariò referendum est ad viuentem Augustum. Et familiare fuisse cum Hebræis, tum gentibus aliis tempora Principum hac ratione putare, multò apertius constabit ex his, quæ dicenda erunt cap. vltimo de annis Nabuchodonoxori Regis Babylonis. *Tempora Tiberij putata ante excessum Augusti.*

Vt ergo tollatur dissidium inter Consulatum Geminorum & trigesimum quartum ætatis Christi, & baptismus Christi anno trigesimo, cum anno quintodecimo Imperii Tiberii Cæsaris redeant in gratiam; Euangelistam Imperium Tiberii inde putasse dicendum, vnde Clemens Alexandrinus, hoc est, ab anno post adoptionem octauo, quo primum quoad Prouincias Tiberius collega Augusti in Imperio factus fuit. Sic enim Christus reuera passus erit anno XXXIV labente ætatis suæ, Consulibus duobus Geminis, & anno quintodecimo Tiberii, scilicet ab excessu Augusti, vt antiquitas tradidit; quum tamen ante annos quatuor, dum iniret ætatis suæ annum *Quò concilianda mors Christi anno Tiberij XV. cum baptismo anno eiusdem Imperatoris XV.*

trigesimum primum, & Tiberius numeraret quindecimum ab imperio primum suscepto, fluuio Iordane baptizatus fuisset.

Cur hæc sententia cæteris præferenda.

12. Quod hanc ego sententiam cæteris anteponam, præter consensum antiquitatis, à qua in huiusmodi rebus recedere & nequeo, & nolo, multa persuadent. In primis verò, quòd ea posita, Christus passus fuisset feria sexta, vigesima quinta Martii, & luna quinta decima mensis primi; quod etsi Ecclesiastica authoritate receptum est, alia tamen ratione defendi non potest.

Christum passum xxv Martij.

Ex antiquioris Ecclesiæ traditione tenuisse fideles Dominum in cruce mortalitatem exuisse Martii XXV die, qua ante annos quatuor, & triginta illam induerat, testem habemus antiquitate insignem Tertullianum, duósque alios sapientia & sanctitate grauissimos, Hippolytum Episcopum & Martyrem, & Augustinum; præter antiquissimum Catalogum

Tertullianus

Rom. Pontificum. Tertullianus lib. contra Iudæos. *Passio*, inquit, *perfecta est sub Tiberio Cæsare, Coss.* Ru*bellio Gemino, &* R*ufio Gemino, mense Martio, temporibus Paschæ, die viii* Kalendarum *Aprilium, die prima*

Hippolytus.

azymorum. Hippolytus ducentis ante Augustinum annis, in marmorea tabula sua Paschali, cui antiquiora quædã interspersit, passioné Domini affixit VIII Kal. Aprilis, & feriæ sextæ. Schedæ peruetustæ apud Peiresci dominum, quarum supra meminimus, in Catalogo Episcoporum Vrbis Constantii Augusti ætate confecto; *Jmperante* T*iberio Cæs. passus est*

Augustinus, & Ecclesia.

Dominus N. Iesus C*hristus duobus Geminis* C*oss. viii Kal. Aprilis*. Augustinus lib. de Trin. 4. c. 5. *Sicut à maiori-*

bus, inquit, *acceptum Ecclesiæ custodit authoritas, viii Kal. Aprilis conceptus creditur, quo & passus.* Ecclesiæ authoritate vsque ad ea tempora traditionem hanc fuisse custoditam, testis est primæuum illud Martyrologium Romanum adeo à Baronio desideratum, quod ex antiqua Bibliotheca Coloniensi erutum anno 1517 publici iuris fecit Heribertus Rosueydus; ad diem enim XXV Martij habet. *Annunciatio Dominica, & Crucifixio.* Hinc tanquam à fonte riuuli, antiquiora Ecclesiarum Italiæ, Angliæ, Galliæ, Hispaniæ Kalendaria deriuata. Est apud Bedam in Ephemeri Kalēdarium cum titulo: *Annus Romanus,* cuius hæc est XXV Martij. A*nnunciatio Virginis Mariæ. Dominus crucifixus est.* Ad eandemque diem Martyrologium ab eo carmine expressum. *Ecclesia Romana.* *Anglicana.*

Angelus octaua venturum nuntiat Agnum,
Agnus & ipse cruce mundi pro morte leuatur.

Kalendarium Romanum antiquum præpositum Sacramētario Sancti Gregorij manuscripto Vaticano peruetusto ad diem XXV Martij habet: *Annuntiatio, conceptio, & Paßio Domini.* Alterum Kalendarium scriptum anno MCLX, & Breuiarium quoddam antiquitatis non contemnendæ habent Resurrectionem Domini ad diem. VI. Kal. Aprilis; & hæc tria in Vaticana sunt, num. 3806.....4753. Alphonsus Tostatus huius traditionis hostis supra modum infensus, fatetur, pro ea obiecta fuisse sibi antiqua aliquot Kalendaria, & inter cætera vnum Sancti Isidori Episcopi Hispalensis, qui floruit circa annum Domini 630. Vir optimus & doctissimus Hieronymus Aleander selectioris antiquitatis tam Ecclesiasti- *Italica.* *Hispanica.* *Gallica.*

cæ, quàm sæcularis instructissimum condimentarium, mihi rem inquirenti quatuor Kalendaria antiqua Ecclesiæ Gallicanæ commodauit, Romanis, Britannis, Hispanis hac ex parte omnino consentientia. Vnum ex antiquo M.S. Ecclesiæ Sancti Victoris annorum fere trecentorum; alterum ex antiquo M.S. Ecclesiæ sancti Germani, tertium ex antiquo M. S. Ecclesiæ sanctæ Genouefæ Parisiensium. Quartum veteris Ecclesiæ Cluniacensis editum Parisiis anno 1546. quorum duo priora affixam habent Passionem Domini in VIII Kal. Aprilis, duo posteriora Resurrectionem in VI Kal.

Hieronymus

Bridfertus Ramesiensis in cap. 45. Bedæ de ratione temporum refert verba Hieronymi in Martyrologio, quod ego nusquam vidi. *viii Kal. Aprilis Hierosolyma Dominus crucifixus est.*

Ex Beda plures.

Chronologi passim.

Beda eodem capite. *Quod autem viii Kal. Aprilis crucifixus, vi Kal. earumdem resurrexit, multorum latè Doctorum Ecclesiasticorum constat sententia vulgatum.* Mitto Marianum Scotum, Addonem, Sigebertum, alióſque scriptores illustres; quibus enim satis non sunt, quæ dicta sunt, quid satis esse possit, prorsus ignoro.

Impugnatores xxv Martij qui, & quando.

13. Quod genus hominum in hanc traditionem principio impetum fecerit, audiendus est, qui illis nomen dedit Alphonsus Tostatus 2. part. defensorij c. 19. *De hoc tamen aliquando*, inquit, *diebus nostris, & prius in curiis duorum Pontificum magna quæstio facta est, & tenentibus communiter Doctoribus* Theologiæ, *quod fuerit mors* Christi *viii* Kal. *Aprilis, iuxta Augustinum; inuocati sunt Astrologi, & Iudæi, & vtrique di-*

xerunt, impoßibile fuisse, mortem Christi fuisse illa die; scilicet, quia Astrologi inueniebant repugnare via Astrologiæ, scilicet, quia die mortis Christi erat luna XV & plena, vt necesse est dari ex Euangelio, vt supra probatum est, & tamen die Annunciationis non erat XV sed multò prior & minor. Iudæi autem reperiebant hoc repugnare terminis suarum solemnitatum. Nam vt constat ex omnibus Euangelistis, mors Christi fuit prima die azymorum, vel secunda, secundum aliam computationem; & tamen die Annunciationis nondum incœperat festum azymorum, sed multò post in illo anno, quo Christus mortuus est, siue dicatur mortuus anno 33 siue 34 ætatis suæ inchoato, & ob hoc fuit magna discordia inter Doctores Theologos communes, & Astrologos, & Iudæos, nec potuerunt conuenire in vnam sententiã. Qui ergo pro traditione steterũt, ij fuerunt omnes Theologi, qui contra, Astrologi & Iudæi, duo scilicet laudata hominum genera. Etsi verò è iudicio discessere discordes, non tamen ita inde discessum, ni fallor, quin nota aliqua impugnatoribus antiquitatis inusta sit.

Iudai & Astrologi circa annum Domini 1431.

Quod etsi certis argumentis confirmare non possum, non desunt tamen coniecturæ graues. Queritur nimirum in Proëmio Tostatus, assertionem suam primo erroneam, & hæreticam censitam esse, post præsumptuosam saltem, & superbam. Quod factum non fuisset, si paulo ante decreto Pontificum, aut absoluta, aut ampliata fuisset. Et in eo tractatu digreditur citra necessitatem ad differendum de Potestate Pontificis, & Concilii, subiicitque Concilio Pontificem, eique adimit infallibilitatem in decernendo de fide, vt totam transferat in Con-

cilium Generale, non facturus certè, nisi parum prosperè cessissent res Astrologis, & Iudæis, quando apud Pontifices contra XXV Martii differuerunt.

14. Etsi verò progressu temporis è Martyrologiis & Kalendariis Passio Domini è XXV Martii sublata fuit, non ideo id factum ab Ecclesia est, quòd minus veram putaret antiquam traditionem, vt iactat Tostatus, sed ne contra receptum morem, eius recitaretur memoria, die, qua non colitur, quum vaga sit, & ex Ecclesiæ instituto nulli affixa diei.

Qua vrgeatur difficultate.

Eius defensio vna hac vrgetur difficultate, quod si annis singulis Æræ Christi motus syderum ad calculos reuocentur, nunquam Luna XV mensis primi occurret in feriam VI & Martii XXV ante annum 175, ad quem vsque dicere Christum vixisse, insanum est.

Quo argumento Tostatus vexillum extulit contra antiquitatem, eóque superati quicunque de hac controuersia à multis retro annorum curriculis scripserunt, Traditione despecta, à Patribus & Theologis, ad Iudæos & Astrologos defecerunt, retentáque feria sexta, & Luna XV mensis primi, alias vel Martii vel Aprilis dies amplexati sunt, prout sua quemque traxit, vel ratio, vel voluntas.


Probandum, Consulibus Geminis fuisse xxv Martii, feriam sextã, & lunam xv mensis primi.

Mihi verò, qui Dominum passum dico Consulibus Geminis, quum esset annorum quatuor & triginta, Antiquitatem & Traditionem ab Astrologis & Iudæis vindicare facile est. Sed antequam de Luna contra Astrologos dicam, de Feria contra Chronologos est disceptandum.

15. Ex

15. Ex Cyclo Dionysij (si tamen Dionysij est) quo Ecclesia vtitur, certum est annum XXIX æræ currentis à Christi natiuitate habuisse Cyclum Solis X & Dominicalem litteram B. quare si Consulatus duorum Geminorum incidit in annum illum, dubitari non potest, quominus XXV Martij fuerit Feria sexta. Tota difficultas est, an Gemini Consules fuerint anno XXIX istius æræ; ex serie enim Chronologiæ Romanæ, eius præsertim, quam concinnauit Panuinius, Geminorum Consulatus fuit æræ vulgaris trigesimus primus, & habuit Cyclum Solis XII. & Dominicalem litteram G. ex qua XXV Martij incidit in Dominicam. Quare aut caussa nobis cedendum est, aut probandum, Consulatum Geminorum biennio nobis proximiorem in Fastis esse, quàm reuera fuerit. Quod vt verissimum est, ita facillimum cognitu, si prius necessaria quædam explicentur. *Feria vj.*

Cyclus Solis est periodus annorum viginti octo solarium, qua periodo certa quadam serie illa septem elementa A. B. C. D. E. F. G. quæ litteræ Dominicales dicuntur, sic disposita sunt, vt post vigesimum quemque octauum annum, singuli quique dies anni solaris ad easdem hebdomadæ ferias reuertantur, vt ex subiecto eius schemate videre est. *Cyclus Solis quid.*



Dicitur Cyclus Solaris, quia Solarem annum moderatur. Diffinitur annis xxiix. quia literæ Dominicales ſunt ſeptem, & biſſextus quarto quoque anno ex quadrante conſurgit. Ductæ verò feriæ in biſſextos, ſeptem in quatuor, emergunt xxiix. quo annorum ſpatio biſſextus omnes per Ferias vagatur, & ad eandem litterarum ſeriem tandem recurrit, à qua primùm receſſerat. Litteræ Dominicales in anteriora procedunt, quia annus Solaris commu-

nis est dierũ 365. intercalaris 366. qui diuisi in hebdomadas reddunt in communi hebdomadas 52 & diem vnũ, in intercalari hebdomadas quinquaginta duas, & dies duos. A. quæ Kalendarij Iuliani prima littera est, eadem est etiam eiusdem anni suprema: Hinc si hoc anno, est index Dominicæ, anno altero, si communis sit, fit index feriæ secundæ, tertiæ, si intercalaris.

16. Huius Cycli constantia tanta est vt nedum Cycli Lunares, verùm ipsæ etiam cœlestium motuum periodi illi conferri non possint. Incredibile est, quot Cycli Lunares in Ecclesia Catholica recepti, reiectique sint: Et Gregorius XIII fatetur, in nullo penitus Lunari Cyclo omnia nos effugere incommoda posse. Metonis obseruationes correxit Calippus, Calippicas Hipparchus, Hipparcheas Ptolomæus, Ptolemaicas Albategnius, Albategnianas Alphonsus, Alphonsinas Copernicus, omnes Tycho, in quo tamen multa iam à multis desiderantur. De defectibus luminarium, quod multis insuperabile argumenti genus videtur, non minus Astronomi, quàm de reliquis Chronologi velitantur: omnibúsque obstruxit os Tycho, qui ab exordio mundi ad supremam eius diem quotannis sex luminarium eclipses fuisse futurásque esse asseruit, vulgatúmque illud Astronomorum principium, *ad Epochas Astronomicas constituendas tres eclipses sufficere*, vti falsum derisit. Vnde eius alumnus Christianus Longomontanus author Astronomiæ Danicæ Theoricorum lib. 1. c. 2. prorupit in hæc verba. *è tali eclypsium triade compendiosè magis, quàm prudenter*

Constantia Cycli Solis.

à Ptolemæo, aut fortè eius antecessoribus introducta, & postea à Copernico inani applausu frequentata, nobis vehementer impositum est. Solus Cyclus Solaris est, qui omnis erroris, omnisque vicissitudinis expers, nunquam non similis sibi, vno, & eodem passu semper in seipsum recurrit. Ideo si semel scias numerum eius ad datum aliquem annum, inde ante, & retro in infinitum tutò progredi potes, & agnito charactere duorum annorũ, illorum interuallũ ex eius periodis colligere, & chronologiæ, si qui irrepserunt, errores deprehendere, & castigare. Ex eo igitur inquiramus, an istius biennij error irrepserit in Romanam Chronologiam.

Cyclus sancti Hippolyti primus à primo Alexandri Seueri anno consurgit.

17. Sanctus Hippolytus Episcopus Portuensis, qui sub Alexandro Seuero vixit, & floruit, scripsit illum Cyclum Paschalem annorum 112, quem in illo marmoreo sedili inciderunt antiqui, cui ad hanc vsque diem insidet eius statua in Vaticano. Bis sculptum ibi est, annum illius cycli primum fuisse etiam primum Imperij Alexandri. Diuisit illum Hippolytus in septem hecædecaëterides, cuius hic ego primam subijcio, adiecto vnicuique Dominicæ charactere suo.

1.XI.Kal.Mai.	F	6.VIII.Cal.Apr.	G.	11.VIII.Cal.Apr.	A.G.
2.VIII.Id Aprilis	E	7.Idib.April.	FE	12.XVIII.Cal.Ma.	F.
3.V.Kal.Aprilis	D.C.	8.IV.Cal.April.	D	13.VIII.Id. Apr.	E.
4.XV. Cal. Ma.	B.	9.XII. Cal. Maias.	C.	14.XI.Cal.Apr.	D.
5.IV.Non.Aprilis.	A	10.IV.Id.Apr.	B	15.IV.Id. Apr.	C.B.
				16.IV.Non.Apr.	A.

Error bienny in Chronologia Panuinij, & sectatorum.

Anno igitur Alexandri primo currebant, vt vides, Cyclus Solis VII & Dominicalis littera F. fuit ideo vulgaris æræ Christi 222. At ex Chronologia Panuinij, & cæterorum, qui Dominum natum di-

cunt Consulibus Augusto XIII, & M. Plautio Syluano, est 224. eóque currunt Cyclus Solis IX. & Dominicales D. C. Ergo æram biennio anticipant, & quem illi numerant trigesimum primum, reuera huius æræ est trigesimus nonus, atque adeo Gemini Consules fuerunt anno æræ Christi vulgaris 29, Cyclo Solis X, & Dominicali littera B. quod erat probandum.

Littera Dominicalis Consulibus Geminis.

18. Si de vno Crucis Domini anno disceptandum fuisset, de hoc Cyclo præterea nihil dicerem, sed quia inter viros doctos pari contentione disceptatur, de annis Natalis, Baptismi, Epiphaniæ, quorum notitia mirum in modum illustrat annum vitæ Christi supremum, anni Iuliani institutio, corruptio, restitutio præteriri non potest.

Iulius Cæsar constituta ea forma anni solaris, quæ in vsu est, quarto quoque anno, vt fit, diem, qui ex quadrante crescit, intercalari præcepit. Cæterùm eo sublato, antequam de intercalandi ratione sacerdotes bene instituerentur, tertiò quoque anno intercalare cœperunt; atque ita spatio annorum sex & triginta dies duodecim intercalarunt, quum nouem tantum intercalare debuissent. Augustus errorem deprehendit, & correxit, iussitque annos duodecim sine intercalatione præteriri, eísque elapsis, quarto quoque anno intercalari: *Et omnem hunc ordinem*, inquit Macrobius, *ææreæ tabulæ ad æternam custodiam incisione mandauit.* Et Solinus: *Ex qua disciplina omnium postea temporum fundata ratio est.*

Anni Iuliani institutio, & deprauatio.

Disceptari solet, qualisnam fuerit annus primus Iulianus, communis, an intercalaris, & an primus

Kalendarij ab Augusto emendati fuerit Iulianus trigesimus sextus, an septimus, an octauus, quæ inexplicata dimittenda non sunt, quòd numerus Feriarum natalis, baptismi, & passionis Christi hinc tanquam à capite pendeat.

Quartus Cæsaris Consulatus caput æræ Iulianæ.

19. Ante omnia constituendum est, quem annum æræ suæ Cæsar caput & indicem fecerit; hunc enim Ægyptius mutat, eóque subducto, qui cæterorum omnium est fundamentum, mutari, luxarique omnia necesse est. Censorinus, *Ex hoc anno*, inquit, *ita à Iulio Cæsare ordinato, cæteri ad nostram memoriam Iuliani appellantur, eique consurgunt ex quarto Cæsaris Consulatu.* Consentit Dio lib. 43. quo res à Cæsare gestas minutissimè prosequutus est.

Ægyptius quintum dicit, sed errat.

20. Audet nihilominus Ægyptius noster contra huiusmodi testes surripere huic æræ annum vnum, annósque Iulianos numerare à quinto Iulij Cæsaris Consulatu, quo coniuratorum pugionibus confossus est. Eaque vna ratione, quod anni Iuliani forma promulganda prius fuerat per Orbem Romanum, quàm vsu reciperetur: ob ingentem vero molem Imperij Romani ante vnius anni decursum non poterat promulgari; idcirco æram Cæsaris in V eius consulatu, non in IV habuisse caput. Cæterùm etsi progressu temporis gentes pleræque omnes, quæ Romanis parebant, eam anni formam suscepêre, ab initio tamen Romanis solis, & Vrbi præscripta fuit; quare neque Ægyptij ante debellatum ab Augusto Antonium annos suos vagos fixêre, neque Hebræi sacros vnquam deseruerunt suos; immo non nisi post aliquot sæcula ipsa Romana

ſuburbia à patriis inſtitutis deflexerunt. Hinc Cenſorinus: *Apud Albanos Martius eſt ſex & triginta dierum. Maius viginti & duûm. Sextilis duodeuiginti. September ſedecim. Tuſculanorum Quintilis dies habet triginta ſex. October triginta duos; idem October apud Aricinos triginta nouem.* Vide tu modò, an noua anni Romani forma toti Imperio Romano impoſita fuerit.

Non recepta ſtatim in orbe Romano anni Iuliani forma.

21. Elapſos fuiſſe annos triginta ſex, quibus intercalandi fuerant dies nouem, quando errorem deprehendit Auguſtus, & duodecim integros ſine intercalatione illius iuſſu prætereundos fuiſſe, teſtantur Plinius, Macrobius, & Solinus. Plinius lib. 18. c. 25. *Et ea ipſa ratio poſtea, comperto errore, correcta eſt, ita ut duodecim annis continuis non intercalaretur.* Macrobius: *ſed hunc quoque errorem ſerò deprehenſum correxit Auguſtus, qui annos duodecim ſine intercalari die tranſigi iuſsit, vt illi tres dies, qui per annos triginta & ſex vitio ſacerdotalis feſtinationis excreuerant, ſequentibus annis xii, nullo intercalato, deuorarentur.* Solinus: *Quod deprehenſum Auguſtus formauit, iuſsitque annos XII ſine intercalatione decurrere, vt tres illi dies, qui vltra nouem neceſſarios temerè fuerant intercalati, hoc modo poſſent repenſari.*

Quis annus primus emẽdati ab Auguſto Cycli.

22. Primum æræ Cæſaris intercalarem fuiſſe, colligitur ex Macrobio, & Solino, quos Scaliger deſpicit, quia non intelligit, quanquam nòn ſolus. Macrobii verba ſunt: N*am cum oporteret diem, qui ex quadrantibus fit, quarto quoque anno confecto antequam quintus inciperet intercalare, illi quarto non peracto, ſed incipiente, intercalabant.* Hic error *ſex & triginta annis permanſit, quibus intercalati ſunt dies duodecim, cum debuerint intercalari nouem.* Solinus: *Nam cum præceptum eſſet, anno*

Primus Iulianus fuit intercalaris.

quenti, à quo Cæſaris æra decurrit, non fuit intercaládum. Ego vero vti ſuperfluos anno illo decurtatos fuiſſe confiteor, ita eum, qui anno proximo erat intercalandus, inter ſuperfluos neque numero, neque numerari poſſe concedo.

Anni Iuliani	Cæſar & Auguſtus.	Herodes	Chriſtus		Cyclus Cęſaris ex Aug. emen.	Cyclus Noſtras	Cyclus erroneus ex ſententia Midelburgenſis	Scaligeri.	Ægyptii
1	Cæſar			C. Iulius Cęſar IV. ſine collega	CB	CB	C	B	D
2	Occiditur			C. Iulius Cęſar V. M. Antonius	A	A	B	A	CB
3	Auguſtus fit III. vir primo			C. Vibius Panſa A. Hirtius	G	G	AG	G	A
4	Interficit Brutum & Caſſium			M. Æmilius Lepidus II L Munatius Plancus	F	FE	F	FE	G
5				Lucius Antonius P. Seruilius Iſauricus	ED	D	E	D	FE
6		Romę declaratur Rex.		Cn. Domitius Caluinus L. Aſinius Pollio	C	C	DC	C	D
7				L. Marcius Cenſorinus C. Caluiſius Sabinus	B	BA	B	BA	C
8				Ap. Claudius Pulcher C. Norbanus Flaccus	A	G	A	G	BA
9	III. Viratus in 2 quinquennium	Mortuo Antigono aſſequitur regnum		M. Agrippa L. Caninius Gallus	GF	F	GF	F	G
10				L. Gellius Poblicola M Cocceius Nerua	E	ED	E	ED	F
11	Vicit Sext. Pompeium.			L. Cornificius Sex. Pompeius	D	C	D	C	ED
12				M. Antonius II L Scribonius Libo	C	B	CB	B	C
13				C. Cęſar Octauianus II L. Volcatius Tullus	BA	AG	A	AG	B
14				Cn Domiti9 Ænobarbus C. Soſius Nepos	G	F	G	F	AG
15	Vicit Antoniũ ad Actium.			C. Cæſar Octauianus III M. Valerius Meſſalla	F	E	FE	E	F
16	Recipit legum & morum regimẽ			C. Cæſar Octauianus IV M. Licinius Craſſus	E	DC	D	DC	E
17				Imp. Cæſar Octa. V. Sex. Apuleius Nepos	DC	B	C	B	DC

Anni Iuliani	Augustus	Herodes	Christus		Cyclus Cæsaris ex Aug. emen.	Cyclus Nostra	erroneus ex sententia Middelburgensis	Scaligeri	Ægyptij
18				Imp. Cæsar Octauianus VI M. Agrippa II	B	A	BA	A	B
19				Imp. Cæsar Octauianus VII M. Agrippa III	A	GF	G	GF	A
20				Imp. Cæsar Augustus VIII T. Statilius Taurus	G	E	F	E	GF
21				Imp. Cæsar Augustus IX M. Iunius Syluanus	FE	D	ED	D	E
22				Imp. Cæsar Augustus X C. Norbanus Flauus	D	CB	C	CB	D
23				Imp. Cæsar Augustus XI Calphurnius Piso	C	A	B	A	CB
24				M. Claudius Marcellus L. Aruntius	B	G	AG	G	A
25				M. Lollius Q. Æmilius Lepidus	AG	FE	F	FE	G
26		Templũ ædificat.		M. Apuleius P. Silius Nerua	F	D	E	D	FE
27				C. Sentius Saturninus Q. Lucretius Vespillo	E	C	DC	C	D
28				P. Lentulus Marcellinus Cn. Cornelius Lentulus	D	BA	B	BA	C
29				C. Furnius C. Iunius Silanus	CB	G	A	G	BA
30				L. Domitius P. Cornelius Scipio	A	F	GF	F	G
31				M. Liuius Drusus Libo L. Calphurnius Piso	G	ED	E	ED	F
32				C. Lentulus M. Licinius Crassus	F	C	D	C	ED
33				Tiberius Claudius Nero P. Quinctilius Varrus	ED	B	CB	B	C
34				M. Valerius Messalla Sulpitius Quirinus	C	AG	A	AG	B
35				Paulus Fabius Q. Ælius Tubero	B	F	G	F	AG
36				Iulius Antonius Fabius Maximus	A	E	FE	E	F
37				Nero Claudius Drusus T. Quinctius Crispinus	GF	DC	D	DC	E
38				C. Martius Censorinus C. Asinius Gallus	E	B	C	B	D
39				Tiberi. Claudius Nero Cn. Calphurnius Piso	D	A	B	A	C
40		Interficit duos filios	Nascitur.	D. Lælius Balbus C. Antistius Vetus	C	G	A	G	B

Anni Iuliani	Augustus	Herodes	Christus		Cyclus Cæsaris ex Aug. emen.	Cyclus Nostra	erroneus ex sententia Middelburgensis	Scaligeri	Ægyptij
41		Interficit innocẽtes	Adoratur à Magis	Imp. Cæsar Augustus XII Cornelius Sulla	B A	F	G	F	A
42		Moritur		C. Caluisius Sabinus C. Passienus Ruffus	G	E	F	E	G
43				L. Lentulus M. Messalinus	F	D	E	D	F
44				Imp. Cæsar Augustus XIII M. Plautius Syluanus	E	C	D	C	E
45				Cossus Cornel. Lentulus L. Calphur. Piso Augur	DC	B	C	B	D
46				C. Cæsar L. Æmilius Paulus	B	A	B	A	C
47				P. Vinicius Nepos P. Alphinius Varus	A	G	A	G	B
48				L. Ælius Lamia M. Seruilius Geminus	G	F	G	F	A
49	Adoptat Tiberiũ			Sex. Ælius Catus C. Sentius Saturninus	FE	E	FE	E	G
50				P. Valerius Messalla C. Cornelius Cinna	D	D	D	D	FE
51				M. Æmilius Lepidus L. Arruntius Nepos	C	C	C	C	D
52				A. Licinius A.F. Nerua Silianus Q. Cæcilius Silanus	B	B	B	B	C
53				M. Furius Camillus Sex. Nonius Quinctilianus	AG	AG	AG	AG	B
54				C. Poppæus Sabinus Q. Sulpitius Camerinus	F				AG
55				P. Cornelius Dolabella C. Iulius Silanus Flam. Martia	E				F
56	Adsciscit Tiberium			M. Æmilius Lepidus T. Statilius Taurus	D				E
57	sibi cõsortem imperii			Ti. Iulius Germanicus Cæsar C. Fonteius Capito	CB				D
58				C. Silius Nepos L. Munatius Plancus	A				CB
59	Moritur & succe-			Sex. Pompeius Nepos Sex. Apuleius Nepos	G				A
60	dit Tiberius			Drusus Iulius Cæsar C. Norbanus Flauus	F				G

Anni Iuliani	Augustus	Herodes	Christus		Cyclus Cæsaris ex Aug. emen.				Ægyptij
61				T.Statilius Sisenna Taurus L.Scribonius Libo	ED				F
62				C.Cœlius Ruffus L.Pompeius Flauus	C				ED
63				TI.Cæsar Augustus Ti.Iulius Germanicus Cæsar	B				C
64				M.Iunius Silanus L.Norbanus Flaccus Balbus	A				B
65				Marcus Valerius Messalla M.Aurelius Cotta	GF				A
66				T.Iulius Augustus Drusu. Iulius Cæsar	E				GF
67				C.Sulpitius Galba D Haterius Agrippa	D				E
68				C.Asinius Pollio C.Antistius Vetus	C				D
69				Ser.Cornelius Cethegus L.Visellius Varro	BA				C
70				Coss.Cornelius Isauric. M.Asinus Agrippa.	G				BA
71			Baptizatur	Cn.Cornelius Geruli cus C.Caluisius Sabinus	F				G
72				M.Licinius Crassus L.Calphurnius Piso	E				F
73				Ap.Iulius Silanus P.Silius Nerua	DC				E
74			Crucifigitur.	C.RVBELLIVS GEMINVS C.FVFIVS GEMINVS	B				DC
.75				M.Vinutius Quartinus C.Cassius Longinus	A				B
76				T.Cæsar D.Aug.F.V. L.Ælius Seianus	G				A
77				Cn.Domitius Ænobarbus A Vitellius	FE				G
78				Ser.Sulpitius Galba Lucius Cornelius Sulla	D				FE
79					C				D
80					B				C

Primus igitur duodenum Augusteorum ininterca-larium fuit Iulianorum trigesimus octauus, eiusque duodenarij supremus fuit Iulianorum quadragesimus nonus, vt iam quinquagesimus Iulianus, qui ex institutione Cæsaris fuisset primus post tredecimum intercalarem, fuerit primus restituti Cycli. Dominicalis littera anni septuagesimi quarti Iuliani fuit B. affixa diei vigesimæ Martij, quare anno illo, quo Christus passus est, vigesima quinta Martij cuius affixa est G. incidit in Feriam sextam, vt iam dicebamus.

Septuagesimo quarto Iuliano, quo Consules fuerunt Gemini duo, littera Dominicalis B.

23. Constituto anno Passionis Saluatoris, facile est reperire annum natiuitatis; si enim triginta quatuor annos subducas à septuagesimo quarto Iuliano, Christi natalis erit quadragesimus Iulianus, quo Consules fuerunt D. Lælius Balbus, & C. Antistius Vetus. Natalem hunc annum ab Augustino quasi digito demonstratum fuisse nemo, opinor, negauerit, qui ad characteristicam, quam incarnationi Verbi Dei notam affixit, oculos tantisper conuertat, lib. 4. de Trinit. c. 5. *Sicut à maioribus*, inquit, *acceptum Ecclesiæ custodit authoritas viii Kal. Aprilis conceptus creditur Dominus, quo & passus.* Characterem eius diei habet serm. 18 de tempore. *Qua die est conceptus in vtero Virginis, in ea resurrexit ab inferis cum gloria.* Fide constat, Dominum die Dominico surrexisse, credebat igitur Augustinus Ecclesiæ traditionibus instructus, anno Christi natali Martij XXV in Dominicam incidisse. At ex omnibus annis, qui pro opinionum diuersitate natali Domini tribuuntur, solo quadragesimo Iuliano XXV Martij incidit in

Annus natiuitatis Christi, Patrum traditione receptus confirmat passionem Consulibus Geminis.

Dominus conceptus de Dominica.

Dominicam, vt ex Cyclo Iuliano videre eſt, in eum igitur ex Auguſtini ſententia conceptio & natiuitas Domini incidêre. Et certè quum duobus Geminis Coſſ. paſſum aſſereret, alio conceptum & natum nunquam dixiſſet, ne à ſenſu & conſenſu Eccleſiæ Romanæ recedere velle videretur, quæ ſi Bedam audiamus à primis cunabulis ad hanc vſque diem Dominum triceſimo quarto labente paſſum, publicis quoque monumentis ſe credere teſtata eſt. Quod non de die menſis, ſed de die hebdomadæ hîc Auguſtinus loquatur, inde apparet, quod profitetur, tenere ſe, Dominum paſſum eſſe XXV Martij Feria VI. Aut enim vna & eadem die Dominum paſſum eſſe, & (quod impium eſt) reſurrexiſſe credebat, aut non vnam, & eandem menſis, ſed vnam, & eandem hebdomadæ diem incarnationi, & Reſurrectioni communem fuiſſe putabat. Accedit ad Auguſtinum Beda libro de argumento lunæ c. de ſolſtitiis, & æquinoctiis. *Conceptus eſt Chriſtus Dominus noſter die Dominico viii* Kal. *Aprilis, & natus eſt tertia feria viii Kal. Ianuarij*, quibus verbis ad hunc vnum annum digitum intendebat.

Natus Feria iij.

Ex tradit. Eccleſiæ natalē Chriſti confirmat annus Epiphaniæ.

Priuilegia diei Dominicæ ex Eccleſia Romana.

24. Hoc anno exeunte Chriſtum verè natum fuiſſe, facit vt credam altera Eccleſiæ traditio de priuilegiis Dominicæ diei expreſſis ea Antiphona, quam Eccleſia Romana canit in ſecunda veſpera Epiphaniæ: T*ribus miraculis ornatum diem ſanctum* (hoc eſt Dominicum) *colimus; hodie ſtella Magos duxit ad Præſepium: hodie vinum ex aqua factum eſt ad nuptias: hodie in* Iordane à Ioanne *Chriſtus baptizari voluit.* Plura addunt Græci in ſexta Synodo c. 8. *In eo die,*

inquiunt, *manna in eremo pluit; in eo naſci dignatus eſt; in eo ſtella* Magis *refulſit; in eo de quinque panibus, & duobus piſcibus quinque millia hominum pauit; in eo baptiſmum in Iordane ſuſcepit; in eo ipſe pius redemptor humani generis ſponte pro ſalute noſtra à mortuis reſurrexit.* At diei natali Eccleſia Occidentis non ſubſcribit.

Ex Græca.

Dominum natum Dominica non tenet Eccleſia Romana.

Magos adoratum veniſſe Chriſtum, dum adhuc in præſepe Bethleemitico iaceret, ſententia eſt magno ſanctorum Patrum recepta conſenſu. Ita Hieronymus ep. 14.17.18.& 27. Auguſtinus ſer. 2. de Epiph. Chryſoſt. hom. 6. & 7. in 2. cap. Matth. Fulgentius, & alij, & Eccleſia Romana canit; *Hodie ſtella Magos duxit ad Præſepium.* Idque contigiſſe 6. Ianuarij proximè inſequentis anni, Græci nobiſcum ſentiunt, Alexandrini præ cæteris, qui contra totam Eccleſiam ſexta Ianuarij Dominum natum, & adoratum à Magis eſſe contendunt. Si natum dicamus anno quadrageſimo Iuliano, vtique adorauerunt eum Magi die dominica, quum littera Dominicalis anni quadrageſimi primi ſit F. affixa Ianuarij ſexto. At ſi ab hoc anno natali recedamus, nunquam occurret Dominica in ſextam Ianuarij, niſi anno Iuliano quadrageſimo nono, quem primum ætatis Chriſti fuiſſe, impoſſibile eſt, quum nimium proximus ſit quintodecimo Tiberij, quo Chriſtus erat annos natus triginta.

Epiphania die Dominica 6. Ianuarij.

25. Rurſum ſi annus iſte ſtatuatur Chriſti natalis, baptizatus fuerit etiam Dominus die Dominica, quemadmodum tenet Eccleſia, ſecus ſi in quouis alio. Etſi enim anni tres inter cæteros ætatis Chri-

Annus baptiſmi.

Baptizatus Dominus Ianuarij 6. die Dominica.

ſti pro varietate opinionum baptiſmo eius notantur, 29.30.31. à quinto decimo tamen Tiberij præter Kepplerum, & paucos alios eius manipulares, nemo eſt, qui recedat. At ſexta Ianuarij, Conſulibus Getulico & Sabino, (currente iam Tiberij quintodecimo ab imperio primùm ſuſcepto à ſexta decima Auguſti anni præcedentis) littera Dominicalis fuit F. & ex conſequenti ſexta Ianuarij Feria prima. Quinto decimo ab exceſſu Auguſti littera Dominicalis fuit B. illo igitur, non iſto ex Eccleſiæ traditione Chriſtus baptiſmum ſuſcepit. Quod ſi ab hoc anno in ſequentes progrediare, non occurret ſexta Ianuarii in Dominicam, niſi anno 77 Iuliano, tertio ſcilicet poſt quintumdecimum Imperii Tiberii Cæſaris, ab exceſſu Auguſti, ad quem vſque, quicquid Kepplerus dicat, transferri baptiſmum Saluatoris, nec Patrum conſenſus, neque ſancti Lucæ permittit authoritas.

Quum ergo aut triplicem Eccleſiæ traditionem de die paſſionis, baptiſmi, Epiphaniæ reiicere neceſſe ſit, aut cum his traditionibus referre diem Chriſti natalem ad quadrageſimum Iulianum, hunc ego tanto Eccleſiæ antiquioris conſenſu firmatum fidenter conſtituo annum Chriſti natalem.

Niſi hic annus ſtatuatur Chriſti natalis, Chriſtus natus eſſet poſt mortem Herodis.

26. Mirum dictu eſt, quanta conſenſione conſpiret omnis antiquitas in hũc annum. Ioſephus antiq. lib. 14. c. 31. ſcribit ex SC. Regnũ Iudæorũ à Romanis Herodi delatum C. Domitio Caluino, & C. Aſinio Pollione Cõſulibus. Eodem lib. c. vlt. M. Agrippa, & Caninio Gallo Cõſulibus, expugnatis Hieroſolymis regni poſſeſſionẽ aſſequutũ. li. 17. c. 10. obiiſſe ait poſt detru-

detrusum regno Antigonum anno 34. *Ex quo à Romanis Rex declaratus est anno 37.* Et ne qua subesse suspitio possit de librariorum errore, id ipsum repetit libro primo de bello Iudaico c. 21. Quare obitus Herodis incidit in Consulatum Caluisij Sabini, & Passieni Ruffi. Primus itaque Regni eius annus fuit Iulianorum sextus, vitæ verò regnique supremus Iulianorum quadragesimus secundus. Si igitur natus esset Christus Consulibus siue Lentulo & Messalla, siue Augusto XIII, & Plautio Syluano, siue demum alio quocunque ex sequentibus annis, qui aliis probantur, natus esset post obitum Herodis; quod pugnat cum Euangelio. At si natus dicatur Consulibus Balbo, & Vetere, Herodes superuixerit nato Christo ad annum secundum; idcirco ab illorum Consulatu non recedendum.

27. Hoc argumentum vt enodarent Eusebius, & plerique omnes huius æui scriptores, quibus duplex initium Imperij Tiberij ignotum fuit, assertum ire cœperunt, regnasse Herodem non annos triginta septem, sed quadraginta, hallucinatúmque fuisse in eius vita Iosephum. Recentioréſque Scaliger, & alij testimonium contra Iosephum, à Iosepho ipso, & è cœlis petiere, nimirum deliquium, quod Lunam passam fuisse scribit Iosephus nocte, qua Herodes seditiosos quosdam viuos comburi iussit, diebus aliquot, antequam interiret. Constat autem anno 45. Iuliano inter nonam & decimam Ianuarij fuisse magnam eclypsim; in eum igitur annum Herodis interitum aiunt referendum. *Opinio Eusebij de annis Herodis, quē Scaliger sequitur.*

28. Cæterùm Io. Kepplerus Mathematicus hoc

Cuius fundamentum euertitur.

argumentum latè prosequutus, obseruauit, contigisse aliam eclipsim Lunæ anno Iuliano quadragesimo secundo, die Martij XIII, horis tribus ante ortum Solis, & quia paucis post seditiosos combustos diebus Herodes periit, instante festo azymorum, vt colligitur ex Iosepho antiq. lib. 17. c. 2. probabilius est, annum quadragesimum secundum, quam quadragesimum quintum Iulianum morte Herodis, & cœlesti charactere designari. Nulla igitur subest ratio, cur Iosepho fidem derogemus.

Disputatio de ætate lunæ tempore paßionis.

29. Explicati à Cyclo Solis, confirmatáque Feria VI in Martii XXV, Consulibus Geminis, partem alteram de ætate lunæ contra Astronomos aggrediamur, ostensuri, nulla cuiusque ponderis ratione probare illos, anno XV Tiberii lunam XV mensis primi non incidisse in Martii XXV. vti incidisse necesse est ex Ecclesiæ traditione. Ptolemæus illorum princeps in supputatione motuum cœlestium Epocha Nabonassari potissimum vsus est, de cuius connexione cum æra Iphyti dicemus cap. vltimo; interim cum maiori & meliori eorum parte accipientes, Iphyti XXIX siue quod idem est, primum octauæ Olympiadis fuisse primum æræ Nabonassari. At de connexione æræ Christi vulgaris cum Olympica, & cum Nabonassarea, quum conuenire non possint, nihil sumendum ab eis, quod non probetur. Copernicus, Maginus, Reinoldus, Mercator, & alii; primum æræ Christi coniiciunt in tertium, Lucidus, Scaliger, Buntingus, & alii in quartum Olympiadis 194. Ioannes Temporarius in primum nonagesimæ quintæ. Rursum Temporarius, & Mercator primum

Primus æræ Nabonassari fuit Olympicus xxix.

Astronomorum controuersia de cõnexione æræ Christi, cum Olympica, & Nabonassarea.

æræ noſtræ vulgaris in 747, Maginus, & cæteri paſſim in 748 æræ Nabonaſſari. Et quod mirum eſt, in hac opinionum varietate omnes Vraniam ſibi teſtem vocant, quæ ſi certum ſuffragium ferret, lites omnes dirimeret. Imbecillitatis eius radix hæc eſt. Omnis Aſtronomorum argumentatio noſtris vſibus applicata compoſita eſt ex Aſtronomia & Chronologia; & ideo concluſione debiliorem partem inſequente, eorum ratiocinia non raro aut falſa ſunt, aut incerta. Tanto tempore tantum ſpatii ſydera peragrare, Mathematicum eſt; tantum temporis inde huc vſque fluxiſſe, vt à primo Nabonaſſari ad primum Adriani, & vice verſa, Chronologicum. Qua in parte quantum peccare poſſint Aſtronomi, exemplo ſuo Ptolemæus docebit. Ioannes Behm Prædicans Lutheranus ad calcem ſuæ manuductionis Chronologicæ ex manuſcriptis hyppotheſibus Phænomenum Ptolemæi publicauit integrum illum canonem Mathematicum à primo Nabonaſſari ad vigeſimum tertium Antonini, cuius partem priorem ediderat Scaliger lib. 3. Iſagogicorum ad æram 47. In eo tempora Principum Romanorum ita diſpoſita ſunt.

Aſtronomorum ratiocinia ſæpe fallacia, & incerta, & cur.

Error Ptolemæi in Chronologia Romana.

Auguſti	43
Tiberii	22
Caii	4
Claudii	14
Neronis	14
Veſpaſiani	10
Titi	3
Domitiani	15

Neruæ primi	1
Traiani	19
Adriani	21
Antonini	23

Præteriit integrũ bienniũ à morte Neronis ad initiũ Vespasiani, quo Imperium delibarunt Galba, Vitellius, Otho, Domitiano annos quindecim tribuit, quum Mathematicorũ more regnauerit sedecim; & Neruæ vnum numerat, quum vixerit in Imperio duos, vt grauissimi scriptores Tranquillus, Tacitus, Dion, & cæteri passim prodidêre. Si verò tantum errauit in Romana Chronologia ætati proxima suæ, quid fecisse putamus in Assyria, Medica, Persica ab eo tanta intercapedine diuisis? Ex hoc tamen canone suo collegit, à decimo septimo Adriani ad meridiem primam regni Nabonassari retro numeratos fuisse annos 879. dies 66, &c. Et ideo eius Regis Epocham illam esse, quam mox dicemus, qua Epocha omnium Astronomorum consensu Astronomia tota nihil habet certius, nihil illustrius. Viden, Lector, cuiusmodi principiis nitatur Astronomia? Nec ratione dissimili ab Astronomis nostri & superiorum temporum Epocha annorum Christi constituta est; à quibus si requiras, vnde constet, à passione Christi ad annum, qui nunc excurrit, annos fluxisse 1590. aut à Natiuitate 1624 nihil habent, quod afferant certi, præter communem Fastorum Chronologiam, & æram Christi vulgarem, quas tantis implicatas difficultatibus videbis, vt si cum antiquis Ecclesiæ traditionibus stare non posśint, tuo & omnium iudicio indignæ futuræ sint, quibus cum ab

Almag. dict. 3. c. 8.

Quam incerta Astronomorum ratiocinia de rebus Christi.

homine Christiano conferantur. Hæc dixi, non quòd aut ab Hyppothesibus Ptolemæi recedere velim, aut causæ diffidam nostræ, si illas sequamur; sed vt Astronomiæ imperiti ad Astronomorum voces discant non trepidare, si quando traditiones Ecclesiæ cum eorum ratiociniis minus consentiant. Eo maxime quòd nec ipsi trepidant, dum de præcipuis Astronomiæ capitibus dissident inter se; connexionésque Epocharum, & ærarum suas rationibus è cœlo petitis ad inuicem euertunt. Omissis ergo incertis eorum connexionibus annorum Christi cum annis Nabonassari, & cum Olympicis, experiamur nos, an ratione aliqua certiori Epochas istas colligare possimus, indéque inuestigare tutò tempus illius plenilunii, quod controuertitur.

Alia ratione æra Christi connectenda cum æra Nabonassari, & Olympica, & qua.

30. Censorinus Consulibus Vlpio, & Pontiano scripsit libellum illum suum de die Natali, annúmque illum fuisse ait Olympicum 1014. Hic *annus*, inquit, *cuius velut index & titulus quidam est Vlpij & Pontiani Consulatus, ab Olympiade prima millesimus est, & quartus decimus, ex diebus duntaxat æstiuis, quibus agon olympicus celebratur.* Biennio antequã Cẽsorinus scriberet, Author quidã Anonymus scripsit breue illud Chronicon ab exordio mundi ad annũ XIII Seueri.

Alexandri, quod habet Canisius Antiquarum lectionum tom. 2. Hic libro primo c. 17. *A generatione Christi vsque ad passionem eius*, inquit, *anni triginta, & à passione eius vsque ad hunc annum, qui est xiii Alexandri, anni ccvi.* Quotus tunc numeraretur annus Olympicus, habet eodem libro c. 19. *Sunt*, inquit, *omnium Olympiades, vsque ad annum xiii Alexan-*

dri Cæsaris Olympiades ccliii, quæ sunt anni mille duodecim. Eo tẽpore ludi Olympici adhuc celebrabantur, dubitari propterea non potest, quominus vterque illorum scierit, quibus Consulibus Olympias ccliii acta sit. Fuit ergo liber Censorini biennio posterior Chronico istius Anonymi, eóque interuallo tredecimus Alexandri præcessit Consulatum Vlpij, & Pontiani. Hinc alter error detegitur Chronologiæ vulgatæ, cui hærentes Astronomi in deuia abrepti sunt.

Error alter vulgaris Chronologiæ.

31. In fastis Panuinij Imperium Alexandri occupauit sequentes Consulatus.

1 Antoninus Augustus IV, & Alexander Cęsar.
2 Maximus, & Ælianus.
3 Iulianus, & Crispinus.
4 Dexter & Rufus.
5 Alexander Aug. II, & Marcellus.
6 Balbinus II, & Pupienus.
7 Modestus, & Probus.
8 Alexander Aug. III, & Cassius Dio. II.
9 Agricola, & Clementinus.
10 Pompeianus, & Felicianus.
11 Lupus, & Maximus.
12 Maximus II, & Paternus.
13 Maximus, & Vrbanus.
14 Seuerus, & Quinctianus.

Consulibus Imp. Antonino Heliogabalo, & Alexandro ipso, ex a.d. VI. Idus Martij, occisa illa bellua, Imperium Alexandro delatum fuisse, sensit Panuinius. Ego verò, vt illi in anno & mense consentio, ita in die consentire non possum; quòd videam apud

Lampridium in Alexandro c. 6. & ſequentibus ex actis vrbis ante diem pridie nonas Martias optimum Principem, recepto imperio, Magni, & Antonini nomina ſponte à ſenatu oblata conſtantiſſimè recuſare. Cæterùm quicquid de die ſit, id certum eſt, tam initium, quàm finem eius Imperij in Martium incidiſſe, quum Lampridio teſte imperauerit annis XIII, diebus nouem, omnibuſque conſentientibus, furore militum, Seuero & Quinctiano Conſulibus è viuis ſublatus ſit.

Annorum Olympiacorum initiũ erat à Solſtitio æſtiuo, quod quum contingat circa VIII. Kal. Iulij, Alexander attigit quidem annum XIV Principatus, at XIV Olympicum attingere non potuit, tribus ante eum menſibus interfectus. In Faſtis vulgatis inter Conſulatum Seueri & Quinctiani, & Conſulatum Vlpij & Pontiani ſunt duo Conſulum paria, ſic enim ſe habent.

Seuerus & Quinctianus — *Chronologiæ vulgatæ vbi additus annus vnus.*
Maximus Aug. & Africanus
Perpetuus & Cornelianus
Vlpius & Pontianus.

Hinc videas inter tredecimum Alexandri, & Vlpium, ac Pontianum Conſules annos duos, quum tamen, Cenſorino, & Anonymo teſtibus, vnicus interceſſerit.

32. Adde Cenſorinum teſtantem, annum illum ſuum fuiſſe, Auguſtorum 265 quorum initium ſumebatur ab indicta Octauio appellatione Auguſti, illo VII & Agrippa III Coſſ. in Faſtis tamen Panuinii annus iſte ab eo Conſulatu eſt 266.

33. Postremo Ptolemæus Almag. dict. 4. c. 6. tres eclipses lunæ obseruasse se dicit, primam anno Imperii Adriani XVII, Nabonassari 880: secundam Adriani XIX Nabonassari 882: tertiam Adriani XX Nabonassari 883. Adriani anno XVII Consulatum gesserunt Seruianus & Verus, idcirco ex connexione annorum Nabonassari cum Olympicis annus ille fuit primus Olympiadis 288. In Fastis tamen Panuinii est eius Olympiadis secundus. Malè ergo colligauit Panuinius Chronologiam Romanam cum Olympica. Nos verò Censorinum & Anonymum testes omni exceptione maiores sequuti, ponimus initium Olympiadis ccliiii in Consulatu Seueri & Quinctiani; & inde per Fastos vulgares vsque ad crucem & cunas Christi inoffenso pede recurrimus. Nobis ideo Consulatus duorum Geminorum est secundus Olympiadis 202, vt Iulius Africanus, & Anonymus testati sunt, non primus, vt vulgò putatur: & primus æræ Christi vulgaris est secundus Olympiadis 195, nòn tertius vel quartus centesimæ nonagesimæ quartæ, eóque Fasti Consules edunt C. Cæsarem Augusti F. & L. Æmilium Paulum.

Fasti Panuinij male colligati cum olympiadibus.

Duo Gemini Consules olympiade 202 anno 2.

34. Errorem Panuinii, & cæterorum, qui æram Christi anticipant biennio, error alter sequutus est. Quum enim à Consulatu C. Cæsaris, & Æmilij Pauli ad annum nunc labentem præterierint anni 1624, vt Cyclus Solaris demonstrat, ipsi à Consulatu Augusti, & Syluani, hoc est, à biennio antecedenti tot annos numerant, & ne Chronologia æram excederet, Chronologiæ biennium detraxerunt. Quo sublato, quanta sequantur incommoda, nemo non videt.

Vera Chronologia Romana desunt anni duo.

videt. Imminutæ Chronologiæ demonstratio hæc est. Ab anno primo Alexandri Seueri, quo, ex marmore Hippolyti Vaticano, Cyclus Solis fuit VII, & littera Dominicalis F, ad annum emendati à Gregorio Kalendarij 1582, cuius Cyclus Solis fuit 23, & Dominicalis littera G, numerantur anni 1361. In Chronologia Panuinij & cæterorum, quibus Alexandri primus est Christi 224 ab eo ad annum 1582, sunt anni 1359 tantum; ergo inde huc vsque Chronologiæ desunt duo Consulum paria, cum quibus vnum integrum, biennium detractum est.

De Chronologia.

Annus quo Christus passus est, fuit Olympicus 806. Nabonassari 778 cuius initium in anno Iuliano inuestigatur.

Herodot. lib. 2. Scholia Germanici ex Græcis in Latinum versa. Censorin. de die Natali c. 18. Ptolemæus passim.

35. Si annus istius æræ 29 quo Christus Crucem pertulit, fuit Olympicus 806, ex certo Epocharum interuallo fuit etiam Nabonassari 778, eiusque initium Augusti XVII. Ratio hæc est. Antiquior Ægyptiorum annus fuit Solaris, diuisus in XII menses æquales dierum triginta, ad cuius duodecimi calcem adiiciebantur dies quinque, vt consurgeret annus dierum 365 sine intercalari. Eius initium mensis Thoth, nulli cœlestis anni tempori affixus; sed ob defectum quadrantis intercalandi errans & vagus. Per annum tamen solarem fixum non exlex errabat, sed quarto quoque anno, quum illo minor esset horis 24, illum anteuertebat die, quæ intercalatur. Hinc prima mensis Thoth, quæ anno primo fuit 29 Augusti ad ortum Caniculæ, anno quarto fuit Augusti XXIIX, anno octauo Augusti XXVII, eoque sic in anteriora progrediente in annis 1460, Kalendæ mensis Thoth redibant ad eandem diem anni fixi, vnde progressæ fuerant; & hanc periodum Ægyptij annum canicularem magnũ nuncupabant.

Censorin. c. 18.

Si anni Iuliani, ac si semper fuissent, retro putentur, communi Astronomorum consensu Kalendæ primi Thoth Nabonassari incidissent in 26 Februarii, quorum sententia testibus oculatis confirmatur. Censorinus libro suo de die Natali c.21 testis est, annum eius libelli lucubratione insignem fuisse Nabonassari 986. eiusque diem primam incidisse in Iunij 25. In annis Iulianis 986 intercalantur dies 247: qui si proiiciantur à Iunij 25, prætergressi Decembrem desinent in annum alterum, & Februarij 26. In annis 778 Iulianis intercalantur dies 194, quorum omissione Consulibus Geminis caput anni Nabonassarei ad XVII Augusti retrocesserat, & erat tertius post intercalarem.

Initium æræ Nabonassari 26 Februarij, & initiũ anni Ægyptiaci, quo Christus passus est, dies xvij Augusti.

36. Mensium Ægyptiorum nomina fuere.

Ægyptiorũ menses.

30	60	90	120	150
1. Thoth.	2. Paophi.	3. Athir.	4. Choiac.	5. Tybi.
180	210	240	270	
6. Mechir.	7. Phamenoth.	8. Pharmuti.	9. Pachon.	
300	330	360	365	
10. Payni.	xi. Epiphi.	xii. Mesori.	Appendices dies quinque.	

Dies 17 Augusti est 229 anni Iuliani, à qua ad vltimam Decembris, inclusis extremis, sunt dies 137, & ab initio Ianuarii ad Martii XXV dies 84, quæ iunctæ reddunt dies 221. Ducentesima vigesima prima anni Ægyptiaci est mensis octaui, hoc est Pharmuti XI. Ergo indagaturis dië mensis Lunaris, vigesima quinta Martij, Consulibus Geminis, ex Tabulis Ptolemæi inuestigare necesse est, quonam cœli loco esset vtrumque luminare vndecima Pharmuti, anno 778 Nabonassari.

Quæ dies anni Nabonassari fuerit xxv Martij anno xv Tiberij.

37. Quas Ptolemæus tabulas construxit, sunt quasi speculum, in quo intuearis, quantum spatij emetiantur Sol & Luna in signifero à meridie primi Thoth Nabonassari vsque ad octo annorum centurias, & quantum superet eius à quocunque tempore dato ad aliud tempus. Ex illis locus solis prima illa meridie secundum motum medium fuit 45. minuta piscium, quare longitudo eius fuit partes 330. min. 45 *Locus medius solis Christo patiente.*

Radix		par. 330	min. 45	sec. 0.
Anni	774	171	49	21
	3	359	16	14
Menses	7	206	59	0
Dies	10	9	51	22
		1078	40	57

Subducto ex hac summa toto circulo (hoc est par. 360) quoties potest, (potest autem bis) reliquæ erunt par. 358. min. 40. sec. 57. atque ita Sol, Consulibus Geminis, ante meridiem 25 Martii, ineunte Pharmuti die XI secundum motum medium tenuerit piscium gradus 28. min. 40. sec. 57.

38. Luna Kalendis primo Thoth Nabonassari meridie tenuit Tauri par. 11. min. 27. quæ sunt signiferi partes 41. min. 27. *Locus medius lunæ patiente Christo.*

Radix ergo		par. 41.	min.	27
Anni	774	59		44
	3	28		8
Menses	7	247		2
Dies	10	131		45
Summa		508		6
A qua subductis partibus		360		
Residuum erit par.		148		6

Tenuit ideo Luna ante illam meridiem Leonis grad. 28. min. 6.

Oppositum loci Solis erat Virginis grad. 28. min. 40. sec. 57. quæ sunt signiferi partes 178. min. 40. sec. 37. quare Lunæ ad Diametrum Solis deerant gradus 30. min. 34. quod ex Tabulis Ptolemæi est iter dierum duorum, & horarum duodecim. Videndum igitur est, an Hebræi tunc anticiparent, & tantò anticiparent suum Pascha.

39. Qui ex locis veris vel mediis luminarium colligunt, Pascha supremum hoc vel illo anno celebratum à Christo fuisse, vel non fuisse, commiseratione digni mihi videntur, quum accipiant vti rem certam, & notam, Hebræos celebrasse semper Pascha in plenilunio Astronomico, quod falsissimum est. Primum quia vt gentes cæteræ, ita Hebræi non Astronomicis, sed ciuilibus mensibus annos diffiniebant. Deinde quia in ciuilibus mensibus constituendis nemo Synagogæ maiores prærogatiuas tribuerit, quàm Ecclesiæ, quę Cyclis decepta suis, per aliquot sæcula in nouiluniis biduo, triduo, quatriduo aberrauit à medio, & interdum celebrauit Pascha septem, aliquando 28, aliquando 35 diebus serius quàm oportuisset, longius progressura nisi Gregorius XIII occurrisset. Bertholdus Constantiensis ad annum 1093 putat, Solem eclipsari potuisse Luna 28. Et Sigebertus ad annum 1023 eum in Paschate defecisse scribit. Quod si quis hisce in rebus Ecclesiam errare potuisse putat, Synagogam non putat, magno certè hic in errore versatur. Scimus ex Cyclo Metonis, qui magna ex parte conuenit

Menses Hebræorum non Astronomici, sed ciuiles.

cum Ægyptiaco, spatio annorum 76 excrescere diem, & quadrantem fere diei; ex Cyclo Calippi eadem periodo horas quinque, min. 52; ex Cyclo Nicæno, quantum modo dicebamus? Fatetur Ægyptius, ex Cyclo suo quintam decimam vsualem præcessisse quintam decimam Astronomicam ad duos dies; & nos solas veterum Hebræorum syzygias ad Astronomicam amussim exigemus? Non certè, si sapimus, sed longè diuersa ratione quæstionem istam dissoluemus.

40. Si aut cœlum semper serenum fuisset, vt luna noua nullis obducta nubibus posset conspici semper, aut omnes Hebræi ita circumfusi Hierosolymis, vt ea visa maturè illis denuntiari possent Neomeniæ, non eguissent seu Cyclis, seu Astronomicis regulis, vt festa sua vbique simul agerent. Cæterùm has ob causas suos & ipsi Cyclos habuêre, minorem vnum annorum quatuordecim; maiorem alterum annorum nonaginta octo, & quod magni refert, vtrumque vitiosum & erroneum. Refert eos Sanctus Epiphanius in Panario hæresi quinquagesima prima, quæ est Alogorum. Et eos quidem errare potuìsse, ipsimet Hebræi non diffitentur. Ita nimirum Rabbi Moyses Ægyptius in tractatu Chidus Hachodes cap. 2. a. 10. *Si in sanctificanda Neomenia Tribunal errasset, siue per deceptionem, siue per vim, nihilominus sanctificata erat, tenebantúrque omnes agere festa iuxta diem, quem Tribunal sanctificasset; & etiamsi quisquam certò scisset Tribunal errasse, nihilominus eius declarationem sequi necesse habebat, quod id negotij ad alium neminem pertineret.*

Hebræos Cyclis vsos esse.

Eosque fallaces fuisse.

R. Moyses Ægyptius.

41. Cyclos eorum reapse erroneos fuisse, anticipasséque Neomenias diebus aliquot, præter Epiphanium, alia vetustioris Ecclesiæ monumenta fidem faciunt. Apostolorum canon octauus: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus sanctum Paschæ diem ante vernale æquinoctium cum Iudæis celebrauerit, anathema sit.*

Canon Apost.

Clemens Rom. Apost. const. lib. 6. c. 16. *Neque amplius cum Judæis tempus celebrandi Pascha obseruetis, falluntur enim in ipso etiam calculo & ratiocinatione, quam existimant se absoluere.*

Clem. Rom.

Constantinus Augustus epistola ad Ecclesias, quam dedit ex Synodo Nicæna. *Hinc etiam existit, quod ne hac quidem parte veritatem perspiciunt* (Iudæi): *quippe qui præ errore extra æquitatem temporis in hoc festo celebrando obseruationem longissimè euagati, eodem anno alterum Pascha celebrant.* Socrates lib. 5. c. 21. *Nonnulli vt dixi, in Asia minore, decimo quarto die mensis festum istud peragunt quidem, qui partes propius ad Orientem sitas incolunt, Sabbatho illud celebrant illi quidem, sed de mense discrepant. Atque illi Iudæos quamuis tempus festi non adeo accuratè obseruantes imitandos asserebant; hi post æquinoctium celebrant, eodémque tempore cum Judæis festum agere abhorrent; quippe Pascha semper celebrandum esse, cum Sol sit in Ariete, docent, mense, vt Antiocheni vocant Xantico, vt* Romani, *Aprili.* Et eodem capite non longè à fine: *Porro quamuis possemus sermonem de Paschate susceptum multò longius producere, & tum Iudæos ipsos, neque tempora illius celebrandi, neque modum accuratè obseruare, cum qua ratione Samaritani, qui sunt secta Iudæorum, semper post æquinoctium hoc festum peragant,*

Constantinus Imp.

Socrates.

plane ostendere, &c. Errabant ergo Iudæi, & Cyclis hærentes suis sursum versus initia mensium progressi, Apostolorum, & proximo tempore & anticipabant Neomenias, & Pascha longè ante æquinoctium vernum celebrabant. Quæ verò quantáque esset anticipatio, ex sequentibus coniectandum.

42. Cyclis, quos Epiphanius retulit, explicandis Viri hac ætate doctissimi plurimum industriæ contulerunt; cæterùm, aut ego vehementer fallor, aut eorum modum assequuti non sunt. Verba Epiphanij, ex quibus Cyclorum rationes petuntur, eò loci sunt ista. *Supersunt enim ex illorum ratiocinijs horæ aliquot appendices, quæ tertio quoque anno diei apud illos discrimen afferunt. Quippe lunarem ad modum præter 354 dies, horas insuper quaternas adijciunt, quæ singulis triennijs diem integrum conficiunt. Ob id anni XIV menses postulant intercalares quinque, eo quod de solis cursu, qui est dierum 366 cum horis tribus, vnam horã decerpũt. Nam horis additis fiunt deinde 365 dies, vna hora minus. Vnde illi XIV annis sexies multiplicatis, vt 84 anni consurgant, anno 85 mensem vnum intercalant, quo fit, vt 85 anni, 31 menses exhauriant, quum accurata ratio præter menses 30, dies præterea xxiv ac tres horas requirat.* Hactenus Epiphanius. Anni vertentis tam solaris, quàm lunaris quantitas & antiquis incerta fuit, & ad hanc vsque diem in controuersia est, quamquam angustioribus terminis, quàm olim circumscripta. Censorinus c. 18. enumeratis diuersis aliquot luminarium periodis, & veterum Astronomorum annis magnis, subintulit. *Hæc annorum magnitudo eo discrepat, quod inter Astrologos non conuenit, quantò vel sol plusquam trecentos sexa-*

Cyclus Hebræorum ex Epiphanio.

Dissensio Astronomorum de quãtitate mensium, & annorum.

ginta quinque dies in anno conficiat, vel luna minus quàm triginta in mēse. Et cap. proximo. *Hoc tempus*(annuum) *quot dierum esset, ad certum nondum Astrologi reperire potuerunt. Philolaus annum naturalem dies habere prodidit trecentos sexaginta quatuor, & dimidiatum. Aphrodisius trecentos sexaginta quinque, & partem diei octauam. Calippus autem trecentos sexaginta quinque. Et Aristarchus Samius tantumdem, & præterea diei partem millesimam sexcentesimam vigesimam tertiam. Meton verò trecentos sexaginta quinque & dierum quinque partem vndeuigesimam. Oenopides trecentos sexaginta quinque, & dierum duûm & viginti vndesexagesimam partem.* Harpa*lus autem trecentos sexaginta quinque, & horas æquinoctiales tredecim. At noster Ennius trecentos sexaginta sex, plerique præterea incomprehensibile quiddam & inenuntiabile esse existimauerunt, sed pro vero, quod proximum putabant, amplexi sunt, dies scilicet trecentos sexaginta quinque.* Quum ergo apud antiquos tanta fuerit opinionum varietas de quantitate mensium & annorum, eos omnem operam ludere arbitror, qui de Cyclis istis, & de sententia Epiphanij ita philosophantur, ac si illi ad rationes anni Iuliani directi fuissent, déque eis ex amussi Iuliana, neglectis cæteris, vir sanctus iudicasset.

43. Mihi Epiphanius, qui diebus trecētis sexaginta quinque & horis tribus annuum solis cursum diffinierit, Aphrodisium sequutus videtur; Hebræi, qui Aphrodisij rationibus horam adimebant, rationes alias. Eapropter nec Epiphanius de Cyclis istis rectè potuit iudicare, & præter germanam illorum Cyclorum formam alia ab eo nequicquam postulātur.

Quæ

Quæ, nisi coniectura me fallit, talis fuit.

Annus vertens solaris fuit dierum 365, horarum duarum; lunaris dierum 354 horarum quatuor. In annis quatuordecim intercalabant menses quinque; in octoginta quinque triginta & vnum, adeóque in 98 triginta sex, quare rationes illorum tales fuere.

Rationes Cycli erronei Hebræorum.

Anni 14 solares ex diebus 365, & horis duabus in dies resoluti sunt dies 5111, horæ 4.

Anni 14 lunares ex diebus 354, horis quatuor, sunt dies 4958, horæ 8. Menses intercalares quinque ex diebus 30 dies 150. Ac propterea tota Tesseradecaëteris lunaris constat diebus 5108, horis 8; & est solari minor diebus duobus, & horis viginti, quæ in annis 84 sexies repetitæ excrescunt ad dies septendecim.

Annus 85 solaris ex data magnitudine lunarem superat diebus decem & horis viginti duabus, quæ adiectæ epactis annorum 84 hoc est diebus 17 conficiunt dies 27 horas 22. Propterea si aut anno 85 intercaletur prę̨ter ordinē mensis vnus lunaris dierum viginti octo, aut duo vltimi intercalares sextæ tesseradecaëteridis fiant caui, dierū 29, nouilunia redibunt ad eandem anni solaris diem, quamuis non ad horam eandem. Hebræi ergo superstitiosè septennarium numerum in omnibus obseruantes, huiusmodi ratiociniis colligebant, lunam cum sole paria facere, septima tesseradecaëteride ineunte. Et appositè quidem omnia hæc, si motus luminarium bene metiti fuissent, àt quum de annuo motu solis horas fere quatuor detraherent, de lunæ horas to-

Q

Cycli Hebræorum error quantus.

tidem, min. 48. sec. 36. prima tesseradecaëteride desinente antecedebant nouilunia diebus duobus, horis 19. min. 20. sec. 24. Eóque errore gradatim progrediente, in annis 98 anticipabant dies fere 20, & æquinoctia vltra sedecim dies, vt ex subiecta tabella videre est. Vnde colligas, quanta cum ratione dixerit Constantinus, Hebræos ætate sua à legitimo tempore longissimè euagatos vno, eódemque anno duo Paschata celebrasse.

Anticipatio Neomeniarum.

Tesseradecaëterides	Diuisa dies	hor.	min.	sec.	Collecta Dies	hor.	min.	sec.
prima	2	19	20	24	2	19	20	24
2	2	19	20	24	5	14	40	48
3	2	19	20	24	8	10	1	12
4	2	19	20	24	11	5	21	36
5	2	19	20	24	14	00	42	0
6	2	19	20	24	16	20	2	24
7	2	19	20	24	19	15	22	48

Anni Æquinoctialis Iuliani Hebraica anticipatio.

Tesseradecaëterides	Diuisa Dies.	hor.	Collecta Dies	hor.
1	2	8	2	8
2	2	8	4	16
3	2	8	7	
4	2	8	9	8
5	2	8	11	16
6	2	8	14	
7	2	8	16	8

Ex obseruationibus Alphonsi & Tychonis ad dies 365. & horas sex, quibus constat annus Iulianus, de-

ſunt minuta circiter vndecim, quæ in annis 98 efficiunt horas 18. Quibus ſubductis ab anticipatione Cycli Iudaici maioris, reliqua erit eius Cycli erronea anticipatio dies XV, horæ XIV. Tantoque temporum eo annorum circuitu Hebræi aberrabant à vero in conſtituendo capite anni ſolaris, & conſectariè etiam anni lunaris.

Ex dictis Epiphanij, qui indicat, tempore Chriſti, Hebræos triduo anteuertiſſe nouilunia, colligitur Dominum paſſum eſſe anno ſecundo ſecundæ teſſeradecaëteridis, cuius à phaſe lunæ ad amuſſim erat anticipatio tanta.

44. Cæterùm de Cyclo illo litem moueri poſſe non ignoro, tum quòd mědis quibuſdam fortè non caret, tum quod Epiphanius quibuſdam in rebus adeo obſcurus eſt, vt natatore Dælio egere videatur; idcirco ad antiquiora, & clariora Aſtronomi, & Hebræi prouocandi. Sanctus Hippolytus Epiſcopus & Martyr ſeptem ſuos Cyclos Paſchales concinnauit ex antiquo Cyclo Paſchali Hebræorum, qui eidem marmori inſculptus eſt, quo Cycli eius, in eiſque hoc vnum præſtitit, vt quotannis notaret in quam anni Iuliani diem, iuxta computum Hebræorum, Dominica Paſchalis incideret. Quod factu facillimum fuit, quum Hebræorum Cyclus quotannis & anni Iuliani diem, & ferias lunæ XIV inſertas haberet, è quibus Dominicas Paſchales colligere, nullius erat laboris. *Cyclus Hebræorum ex S. Hippolyto.*

Cyclum illum adeo antiquum, & adamantinum putabant Hebræi, vt ab exodo ad poſtrema tempora omnino immutatum duraſſe exiſtimarent; quod

monent festa Paschalia Christi, Esdræ, Ezechiæ, Iosiæ, Exodi, quæ illi inspersa sunt. Et verba, quæ ei præfixit Hippolytus: *Erit in sequentibus annis ordine, quo in tabula explicatur. Factum est verò in præteritis, vt infra per notas demonstrabitur.*

Cyclus ille erat periodus annorum sedecim, quorum decem erant communes, sex embolimæi; illi dierum 354 isti 384. Annis sedecim euolutis XIV mensis primi recurrebat ad eandem diem anni Iuliani, quæ primo Cycli erat Aprilis XIII. Rectissimè quidem hæc omnia ad cursum Solis; nam anni sedecim solares Iuliani sunt dies 5844 quot etiam sunt decem lunares communes dierum 354, & sex embolimæi dierum 384. Cæterùm non æque bene quadrabat Cyclus ille cursui Lunæ, quum iuxta motum medium in anno communi exigat dies 354 horas 8.$\frac{1}{4}$. in embolimæo dies 383 horas 21 fere, & tota heccedecaëteride dies 5847 horam vnam, & quasi dimidiam. Quare ex hoc Cyclo Hebræi integro triduo Neomenias Astronomicas anteuertebāt. Quod si in sedecim annis tantundem errabant, an non quinto quoque Cyclo celebrauerint Pascha in nouilunio? & nisi retrocedentibus annis modum aliquem posuissent, nonne progressu temporis millies errassent toto cœlo? Et nos Astronomicos calculos cum antiquis eorum Cyclis componemus? & sic instructi manu cum illis facta antiquas Ecclesiæ traditiones oppugnatum ibimus? Nunquid non ipsimet & Cyclis se diffidere suis, & vna opera inscientissimos Astronomiæ prodebant, dum (si eorum Rabbinos audiamus) nescire se profitebantur, qua hora,

Eius Cycli error.

quaue die luna conſpiceretur, niſi iureiurando certi eſſent, eam ad cacumina montium cornubus exploratorum oculos incurſaſſe? Quotus enim quiſque eſt, Aſtronomicis principiis vtcunque tinctus, qui etiam clauſis luminibus domi ſedens eam naſcentem non videat? Valeant igitur Aſtronomorum, & Hebræorum nugæ, & ſtet antiqua Eccleſiæ traditio, Chriſtum paſſum eſſe Martii XXV, & ciuili luna XV menſis primi.

45. Grauioribus difficultatibus ſuperatis, tertia minoris momenti reliqua eſt de æra Chriſti vulgari, quam Dionyſianam vocant, quæ poſito natali Domini in Conſulatu Balbi, & Veteris, falſa eſſet, & integro ſexennio verâ breuior, quod durum fortaſſe alicui videri poteſt, ob eam, quam à conſenſu Eccleſiæ Occidentalis authoritatem ſortita videtur; ideo opportunum exiſtimo, dicere, quæ fuerit eius origo, quæ ſit authoritas. *De æra Chriſti vulgaris authoritate.*

Cyclus Solis quid ſit, copioſè à nobis explicatum eſt, Cyclus lunæ eſt periodus annorum decem & nouem ſolarium, qua emenſa, nouilunia ad eaſdem menſium dies reuertuntur. Si vnus Cyclus ducatur in alterum, multiplicentúrque 28. per 19. emergit Cyclus maior annorum 532, quibus euolutis, quæcunque ad ſolem, & lunam pertinent, ad eundem omnino ſtatum perpetuo eſſe reuerſura antiqui credidêre, neſcij nouilunia ſingulo quoque cyclo anticipare horam vnam, minuta 27, atque adeo in annis 312 vnam ferè integram diem. Hinc ex eorum hypotheſi, qualis fuit annus Chriſti Domini primus, tales fuêre anni 533. 1065. 1597, & ſic ante & retro qui- *Cyclus Magnus Dionyſij quid.*

libet quingentesimus trigesimus tertius in infinitum. Huius periodi Dionysius Exiguus Abbas Romanus author fuisse fertur, qui orsus ab anno Christi 532 cyclum vnum, eum produxit vsque ad annum 1064, eóque authore Christi fideles annos à Christi natali primum putare cœperunt, quum ante in Cyclis Paschalibus à die Imperij à Diocletiano suscepti numerarentur. Hactenus certa omnia. At Dionysium fuisse eius æræ authorem, cuius nunc labitur annus 1624, & eius Cycli Magni, qui cœpit Cyclo solis IX, & Dominicalibus litteris DC, vt hucusque creditum est, ægrè suaderi possum, immo omnino non possum.

Ambros. epist. de Pasch. celebrit. Beda de ratione Temp. c. 45.

Cyclus Dionysianus Authorem non habet Dionysium exiguum.

46. Marianus Scotus ad annum Domini 526 refert Præfationem Cycli Dionysiani ab authore suo hisce conceptam verbis: *Præsentis anni monstremus exemplum. Indictio quippe quarta est, & lunaris Cycli xi decemnouennalis xiv, & quia endecadis eius sextus est annus, ideo embolismum esse necesse est. A quintadecima itaque luna præteriti festi, vsque ad xiv præsentis, quot dies sunt, diligentius inquiramus, & inueniemus proculdubio quando Pascha celebrare debeamus. Transacto anno per indictionem tertiam Paschæ xiv lunam ix die Kal. Aprilis, id est xxiv Martij fuisse quis dubitat?* Et paulo ante dicit, Hoc monemus, *quod Cyclus iste 95 annorum, quem fecimus, non per omnia in seipsum reuertitur; & ideo post expletionem 95 annorum, non ad quintum sancti Cyrilli, qui incipit Cyclos suos ab anno 153 Diocletiani, quorum quintum Cyclum necessario nobis proposuimus, sed ad nostrum primum Cyclum, quem nos ab anno 248 eiusdem Diocletiani incœpimus, lector recurrat.* Hæc Dionysius, qui etsi se

Præfatio Dionysij.

concinnasse dicit Cyclum annorum 95 tantum, potuit tamen post illum producere vsque ad 532, neque ego ob hanc vnam causam deseruissem vnquam communem opinionem de huius Cycli authore. At quod vrget illud est, quod ordiri se dicit Cyclum suum, vbi desierat quintus sancti Cyrilli, vt iam character infallibilis Cycli Dionysiani sit continuatio Cyclorum sancti Cyrilli, qui si non quadrat in Cyclum istum vulgarem, non video, quo iure Cyclus Dionysianus dici queat.

Dionysius exiguus profitetur se continuari Cyclos sancti Cyrilli.

47. Apud Bedam eodem lib. quo Cycli Dionysiani collecti sunt, habentur etiam priores duo ex quinque sancti Cyrilli, quamuis inscitia aliena miserè deformati; adiecti sunt enim illis anni Domini à nescio quo, qui arbitratus Cyrilli Cyclos cœpisse sub initium æræ Christi vulgaris, primum Cycli primi notauit anno salutis tertio, quod quàm alienum à vero sit, Dionysium audiuimus. Neque eiusdem hominis inscitia pepercit Dionysianis, quos dū triplicare voluit, & extendere ad quingentos triginta duos, priores, & posteriores; mille fœdauit erroribus. Primi anni duo Cycli primi sancti Cyrilli in Cyclo Solis sunt,

Characteres Cyclorum sancti Cyrilli.

20 D

21 CB. Quare duo vltimi, nempe nonagesimi quartus & quintus necessario fuere in Cyclo Solis

1 GF

2 E. Quos quum sequutum se Dionysius profiteatur, aliunde Cyclum suum ordiri non potuit, quam Cyclo Solis 3, & Dominicali littera D. At Cy-

clus magnus, qui ei tribuitur, incipit Cyclo Solis 9, & Dominicali littera geminata DC, non igitur hic Cyclus est ille, quem Dionysius fecit, sed alter sexennio posterior. Si cœpit Dionysius Cyclum suum anno æræ Christi 532, & cœpit Cyclo Solis 3, & Dominicali littera D, annum eius 533 habuisse oportet Cyclum Solis 4, & Dominicalem litteram C. In Cyclo magno qualis est annus primus, talis est etiam 533, & vicissim. sensit igitur Dionysius, Dominum natum esse Cyclo Solis 4, & Dominicali littera C, qui sunt ipsissimi characteres anni quadragesimi Iuliani in Cyclo Cæsaris emendato. Fixit itaque Dionysius æram suam in illo ipso anno, quo ex nostra, & antiquorum sententia Dominus natus est, vt iam qui nunc dicitur Dionysianus 1624 sit Dionysianus 1630. Si Cyclus iste vulgaris cum æra sua Dionysij exigui non est, aut aliquem alium Dionysium authorem habuit, aut impostor aliquis hoc nomine personatus orbi illudere voluit. Quo id primum tempore factum sit, etsi diffinire non ausim, quo tamen factum coniectem, non tacebo.

Cyclus vulgaris Dionysij sexennio posterior Cyclo Dionysij vero, & vera eius æra.

48. Ante tempora Caroli Magni nullus fuit vsus æræ à Christi natali, sed vsque ad Iustinianum per Consulatus, inde per indictiones, seu per annos Principum tempora discreta fuere. At ætate Caroli recepto isto Cyclo Paschali cum nomine Dionysij, ex eo etiam anni Domini numerari cœpêre, statim tamen ac in vsum venit, non defuerunt, qui æram eius castigandam contenderent, & reducendam ad veriorem illam, quam antiqui statuerant. Cuius rei testis est Annalium Francicorum fragmentum ab anno

Æra Christi quando vsurpari cœperit.

Iustiniani nouella 47.

anno Domini 714 in annum 793 in quo ad annum 758 ſubiiciuntur hæc verba: *Et immutauit ſe numerus annorum.* Et anno 759. *Et immutauit ſe numerus annorum.* Et anno 760. *Et immutatus eſt numerus.* Et annis 767. 770. 777. *Et immutauit ſe numerus annorum.* Et tandem anno 787. *Et immutauit ſe annus.* Verùm iſta æra vulgaris computiſtarum conſenſu obtinuit tandem, non (vt mea fert opinio) quòd æra alia verior putaretur, ſed ne anni illius Cycli alio charactere notarentur, quàm quo eius authori placuerat. Liberum tamen ſemper in Eccleſia fuit, & ſentire de ea, & dicere quod liberet; hinc inter eos, qui de ratione & emendatione temporũ ſcripſerunt, vix vnũ aut alterum reperias, qui omni conatu ei nõ reluctetur. Ioannes Lucidus ei deeſſe vult annum vnum. Ioannes Temporarius, communior ſcriptorum duos. Marianus Scotus duodecim. Sigebertus Stoflerinus, & Rhenerius vnum & viginti. Hermannus Contractus triginta. Antonius Dulciatus tres & triginta. contra Paulus Middelburgenſis redundare vult annos duos; Veneti, Florentini, & Senenſes vnum. Vno verbo dicam, nemo omnium eſt, qui falſam non putet; ipſa enim, vt oſtendimus, affixa eſt Conſulatui C. Cæſaris, & Æmilij Pauli, qui fuit æræ Cæſaris 46. Olympiadis 195, ſecundus & tertius, Nabonaſſari 750 & 751, quo tamen anno natum Chriſtum, qui diceret, vidi neminem. Quum ergo & ipſe videam, illam ſtare non poſſe cum antiqua Eccleſiæ traditione de diebus Conceptus, Natalis, Epiphaniæ, Baptiſmi, & Paſſionis Chriſti, liberius & libentius dixero, erraſſe Dionyſium (ſi Dionyſius

Controuerſia eius cauſa.

Quid viri docti de illa.

Quid authar. fuit) in ea constituenda, quam Ecclesiam, & Patres posteris commendando certos dies tanquam præcipuis mysteriis nostræ salutis insignes.

Epilogus disputationis & compendium & præcipuorum capitum vitæ Christi. 49. Colligo iam quæ hactenus disputaui. Christus natus est 25 Decembris, Feria tertia, Consulibus D. Lælio Balbo, & Caio Antistio Vetere, anno Iuliano 40, Augusteorum inintercalarium tertio; Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ primo; Nabonassari 745. Baptizatus est VI Ianuarij, die Dominico; anno XV Tiberij Cæsaris ab Imperio primùm suscepto; Consulibus Cn. Cornelio Getulico, & C. Caluisio Sabino, Septuagesimo primo Iuliano, quum ex a.d VIII Kal. Ianuarij iniisset annum trigesimum primum. Passus est 25 Martij; Feria sexta; Luna XV Hebræorum ciuili; Consulibus duobus Geminis; anno Olympiadis 202 secundo; Nabonassari 778, XIIX Tiberij ab Imperio primum suscepto, XV ab excessu Augusti, Iuliano 74, ætatis suæ quarto supra trigesimum.

Ne quam verò confusionem Lectori pariant anni Olympici, & Nabonassarei, qui cum Romanis non nisi ex parte conueniunt, tabulam subiecimus, qua vno intuitu toto tempore vitæ Christi omnia eorum discrimina dignoscantur. Olympicorum initium est à solstitio æstiuo; Ægyptiorum à diebus Iulianis, qui in eis notantur.

Tabula annorum totius vitæ Christi in æris præcipuis.

Olympiades	Anni Nabonassari	Anni Iuliani	Anni Christi vulgares	Anni Christi veri	Consules
4 194 1	Augusti 25 744 745	40		Dies septem	Balbus & Vetus
1 2	745 746	41		1	Augustus XII & Sulla
2 3	746 747	42		2	Sabinus & Rufus
3 4	747 Augusti 24 748	43		3	Lentulus & Messalinus
4 195 1	748 749	44		4	Augustus XIII & Syluanus
1 2	749 750	45		5	Lentulus & Piso
2 3	750 751	46	1	6	C. Cæsar & Paulus
3 4	751 Augusti 23 752	47	2	7	Nepos & Varus
4 196 1	752 753	48	3	8	Lamia & Geminus
1 2	753 754	49	4	9	Catus & Saturninus
2 3	754 755	50	5	10	Messala & Cinna
3 4	755 Augusti 22 756	51	6	11	Lepidus & Nepos

Olympiades	Anni Nabonassari	Anni Iuliani	Anni Christi vulgares	Anni Christi veri	Consules
4 197 1	756 757	52	7	12	Silanus & Silanus
1 2	757 758	53	8	13	Camillus & Quinctilianus
2 3	758 759	54	9	14	Sabinus & Camerinus
3 4	759 Augusti 21 760	55	10	15	Dolabella & Silanus
4 198 1	760 761	56	11	16	Lepidus & Taurus
1 2	761 762	57	12	17	Germanicus & Capito
2 3	762 763	58	13	18	Nepos & Plancus
3 4	763 Augusti 20 764	59	14	19	Nepos & Nepos
4 199 1	764 765	60	15	20	Drusus & Norbanus
1 2	765 766	61	16	21	Taurus & Libo
2 3	766 767	62	17	22	Rufus & Flaccus
3 4	767 Augusti 19 768	63	18	23	Tiberius & Germanicus
4 200 1	768 769	64	19	24	Silanus & Balbus

Olympiades	Anni Nabonassari	Anni Iuliani	Anni Christi vulgares	Anni Christi veri	Consules
1 2	769 770	65	20	25	Messalla & Cotta
2 3	770 771	66	21	26	Tiberius & Drusus
3 4	771 Augusti 18 772	67	22	27	Galba & Agrippa
4 201 1	772 773	68	23	28	Pollio & Vetus
1 2	773 774	69	24	29	Cethegus & Varro
2 3	774 775	70	25	30	Isauricus & Agrippa
3 4	775 Augusti 17 776	71	26	31	Getulicus & Sabinus
4 202 1	776 777	72	27	32	Crassus & Piso
1 2	777 778	73	28	33	Syluanus & Nerua
2 3	778 779	74	29	34	Gemini duo

50. Si Baptismus Christi constituatur in XV Tiberij ab excessu Augusti, vt antiquis, & recentioribus plerisque placuit, & passio in 202. Olympiadis anno quarto, baptizatus erit 74 Iuliano, Consulibus Geminis, passus 76 Iuliano, Consulibus Tiberio, & Seiano. At quibus id placeat, neque passum dicere

Si anno alio passus Christus dicatur varias Ecclesiæ traditiones euerti.

possunt 25 Martij, neque baptizatum & adoratum à Magis die Dominico. Dominicalis enim anni 76 est G. affixa Martij 25. nemo verò Christum passum dixerit Dominico die. Dominicalis 74 Iuliani est B. sexta Ianuarij F. quare baptizatus fuisset feria quinta, Dominicalis 43 Iuliani est D. Itaque adoratus fuisset à Magis feria tertia. Quod si demum Passio Domini remoueatur à 34 ætatis Christi, vt plerique recentiorum fecère, vnus, aut alter ex his scopulis vitari poterit, omnes non poterunt; nemo tamen infœlicius periclitabitur, quàm Ægyptius, qui passum vult Galba & Sylla Coss. die XI Aprilis, eius enim anni Dominicalis fuit D. affixa XI Aprilis est C, quare passus fuisset Sabbatho contra Euangelium; sed videamus iam, quibus argumentis instructus hanc in arenam descenderit.

Si Christus passus esset anno & die quo putat Ægyptius, passus fuisset Sabbatho.

Diluuntur argumenta Ægyptij contra ea, quæ constituta sunt capite præcedenti, & quæ supererant ex capite huius dissertationis primo de Cœna Christi suprema.

Cap. VI.

1. argum. 1. PRIMVM Ægyptij argumentum est. Anno » XV Imperij Tiberij Cæsaris Christus annum » trigesimum fere compleuerat. Nam Lucæ cap. 3. *Erat* » *incipiens quasi annorum triginta.* Retexe annos 30 à » XV Tiberij, quo Consules fuerunt Gemini duo, de- » ducèris ad annum mundi Iulianum 3984 quo Con-

sules fuerunt Augustus XIII & Plautius Syluanus. »

Respondeo, verba sancti Lucæ Græcè concepta, vti illa scripsit, sunt hæc: καὶ αὐτὸς ἦν Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος. Ad verbum, *Et ipse erat Iesus quasi annorum triginta incipiens*. In quibus duo consideranda sunt, participium *incipiens*, & particula *quasi*. Participium annis postpositum, & loco periodi supremo, ad annos non potest referri, sed si ex similibus similia colligamus, refertur ad Euangelium, cuius ibi primordia describuntur. Actorum cap. 1. 21. Petrus, *Oportet ergo ex his viris*, inquit, *qui nobiscũ sunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Jesus incipiens à baptismate* Ioannis, *vsque in diem, qua assumptus est à nobis*. Et rursum cap. 10. 37. *Vos scitis, quod factum est verbum per vniuersam Judæam, incipiens enim à Galilæa post baptismum, quod prædicauit Joannes.* Vides itaque Apostolis Euangelium Christi descripturis, Petróque in primis familiare fuisse, eius initia petere non ab ætate Christi, sed à baptismo Ioannis, istoque ipso verbo, *incipiens*, quo hic vtitur Lucas. Vt quid ergo, Petro neglecto, id verbi nunc non ad Euangelium, cuius initia ibi describuntur à Luca; sed ad ætatem Christi referemus? Quod Latinè, *quasi*, Græcè ὡσεὶ, particula est, quæ etsi varias interpretationes admittit, frequenter tamen vsurpatur pro *circiter*. Dixerat Matthæus cap. 10. Christum die sexta post institutum sermonem transfiguratum esse. Lucas tamen cap. 9. id factum asseruit, *post illum sermonem* ὡσεὶ *quasi dies octo*. Quo sensu cap. 3. loquutum fuisse Lucam de ætate Christi existimauit Iustinus Martyr dialogo cum Tripho-

Solutio.

Ex verbis sancti Lucæ non colligi annum certum Christi tempore Baptismi.

ne. *Ad annos*, inquit, *plus minus triginta durans quoadusque Ioannes aduentus eius præco, & baptismi viam præiens, sicut antea ostendi, processit.* Noluit igitur Euangelista hîc diffinire accuratè ætatem Saluatoris, quod nec ab aliis diffiniri mos esset, sed satis fuit, dixisse, annorum circiter triginta illum fuisse, quando euangelizaturus ad baptismum accessit. Aliunde tamen constat, eum, anno trigesimo absoluto ablutum à Ioanne fuisse. Ignatius enim, qui illum viuentem vidit, epist. ad Trallianos. *Expletis*, inquit, *tribus annorum decadibus baptizatus est, anno quintodecimo* Tiberij; non à morte Augusti (non enim hoc dicit Euangelista) sed ab imperio primum suscepto; hinc Consulibus Getulico & Sabino Iuliano 71 vt dictum est.

2. Argum. 2. Secundum argumentum. Tempore Passionis sol passus est ingentem illam eclipsim, quam narrant Euangelistæ. At eclipsis illa testimonio Phlegontis apud Eusebium in Chronico incidit in annum quartum Olympiadis 202. Igitur anno illo Christus passus est, non XV Tiberij, qui fuit eius Olympiadis secundus.

Solutio. Respondeo. Qui ex testimonio Phlegontis hanc eclipsim Gentibus primus obiecit, is fuit Iulius Africanus vetustus, & accuratissimus scriptor. Hic tamen Christum passum scripsit anno secundo Olympiadis 202 Imperij Tiberij Cæsaris XV. Ita apud Hieronymum in cap. Danielis nonum, & apud Eusebium de Demonstr. Euang. lib. 8. Quare eius anni notas Arithmeticas, quas nunc habemus in Chronico Eusebij, spurias esse necesse est; eóque magis, quod

Incertus est annus eclipsis, cuius meminit Phlegon.

quod Eusebius ipse passionem constituit in Olympiadis 202 anno tertio, quod non fecisset, si eclipsim in Phlegonte vidisset anno eius Olympiadis quarto. Quid enim pertineret ad Passionem Christi eclipsis anni quarti, si Christus anno tertio passus esset? Quum ergo antiqua Phlegontis manuscripta sibi non constarent, sed alia haberent annum secundum, alia tertium, alia quartum, nos tot argumentis instructi vetustioribus subscribimus cum Africano. Et certè quum fieri nequeat, vt Christus passus sit anno quarto Olympiadis 202, & Herode viuente natus sit, si in vita Herodis Iosephus non errauit, ego à librariis potius erratum in eclipsi, quàm à Iosepho semper sibi constante in Herode, crediderim. Herodis enim res recentes erant, & cōspicuæ, quando Iosephus scripsit, vt vix possibile sit, ignoratum ab eo fuisse, quandiu Tyrannus ille regnauerit, quandiu vixerit, quando interierit.

3. Tertium argumentum ex 2. cap. S. Ioannis. 3. Argum.
» Supremis vitæ suæ diebus flagello facto de funiculis Dominus eiecit de templo vendentes & ementes, à quibus interrogatus, quod signum ostendis nobis quia hæc facis? Respondit Iesus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Quæ verba sic interpretantur. Quadraginta & sex anni sunt, quod templum hoc ædificatum est, vt tu vides, tantæ magnitudinis, & magnificentiæ, quomodo est, quod tu dicis, vt nos illud destruamus, & tu in tribus diebus reædificabis illud? »

» hoc certè nihil aliud est, quam vanissima quædam
» iactantia & supina stultitia. Posita hac interpreta-
» tione colligit annum Christi natalem hunc in mo-
» dum. Herodes cœpit ædificare templum anno 18 re-
» gni sui, mense Iulio, absoluit spatio nouem anno-
» rum cum dimidio media hyeme, ex Iosepho antiq.
» 15. c. 14. Cœptum itaque mense Iulio anni Iuliani
» 3929 absolutum mense Ianuario 3939. Adde 45. an-
» nos annis 3939 habebis annum 3984 completum
» Ianuario; & inchoatum 46 per duos menses, qui fuit
» vitæ Christi supremus.

Solutio. Æra templi ab Herode refecti Hebræis memorata anno primo Prædicationis Christi non vltima vt Ægyptius vult.

Respondeo. Vis omnis huius ratiocinationis in eo posita est, quod hæc verba Christo dicta sint ab Hebræis eo Paschate, quo crucifixus fuit. Quod quàm falsum sit, docent testimonia S. Ioannis, quæ subiicio. Primum de eo sic loquitur. *Quum autem esset Ierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius, quæ faciebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis.* Christus hoc Paschate Ierosolymis euangelizat, signa facit, plurimos Iudæorum conuertit, illis tamen seipsum non credit. In vltimo Paschate secundum nos capitur, illuditur, crucifigitur. Secundum Ægyptium etiam in sepulchro iacet, pridie interfectus. Et hoc erit vltimum Pascha Christi? Adde Ioannem asserentem, verba illa dicta Christo fuisse post nuptias Galilææ illustres primo miraculo Christi, & Dominum post illud Pascha habitatum iuisse Capharnaum: quæ de supremo Christi Paschate affirmari nisi stultè & impie non possunt. Quò tamen Ægyptius trahere illa vult hac vna ratione, quòd omnium aliorum Euan-

gelistarum testimonio ante vltimum Pascha Christus eiecit de templo ementes & vendentes. Quasi eos pellere bis non potuerit, vt pepulisse sentiunt omnes interpretes.

Elegantissimam illam interpretationem: *quadraginta sex annis templum hoc ædificatum est*, hoc est, *sunt quadraginta sex anni, postquam templum hoc ædificari desiit*, quis patienter, audiat?

4. Verùm vrget Ægyptius communem testimonio Iosephi, asserentis, templum ab Herode completum nouennio, & sesquianno.

At de præcipuis, & essentialibus templi partibus Iosephum ibi loquutum fuisse, didicisse poterat à Iosepho ipso, qui antiq. 20. c. 8. prima belli Iudaici semina describens hæc habet. *Iam absolutum erat & templi ædificium, Populus igitur cum videret, esse in otio circiter octodecim opificum millia solitorum hactenus in templo ex operarum mercedibus victum quærere, nolénsque sacram pecuniam repositam habere, ne quando præda Romanis fieret, simúlque opificibus inde prouisum cupiens, quòd vel vna hora operato merces repræsentaretur, suasit* Regi, *vt Orientalem instauraret porticum.* Si sub initium belli Iudaici, hoc est, quadragesimo ferme anno à morte Christi templum absoluêre Iudæi; non certè annis quadraginta sex, antequam moreretur, illud absoluerant.

Templum vix absolutum sub initium belli Iudaici.

5. Ex æra templi ab Herode refecti Iudæis memorata anno primo prædicationis Christi, vt tradit S. Ioannes, egregiè deduci potest quadragesimum Iulianum fuisse eius natalem. Herodes scilicet ex Iosepho regnauit an 37, biennio ante eius excessum

Ex æra templi ab Herode refecti confirmari annum Christi natalem verum.

natus est Christus, quare 35. Herodis fuit natalis Christi. Anno 18 regni sui Herodes ædificare templum aggressus est, itaque natalis Christi fuit templi inchoati decimus septimus; atque ideo templi inchoati quadragesimus sextus fuit ætatis Christi trigesimus primus, quem inierat ex a. d. VIII Kal. Ianuarij Consulibus Isaurico & Agrippa. Siue planius & apertius. Herodes regnum auspicatus est post mortem Antigoni anno Iuliano nono, Agrippa, & Gallo Consulibus. Anno regni 18 templum ædificari ab eo cœptũ. Ergo initium templi sub Herode in Iuliano 26. Quadragesimo sexto ab initio templi hæc verba Christo dicta fuêre à Iudæis: ergo anno Iuliano septuagesimo primo; ex Ioanne dicta fuêre anno Euangelij primo; igitur septuagesimo primo Iuliano Dominus & baptizatus est, & prædicare cœpit. At erat hic annus 15 Imperij Tiberii ab imperio primùm suscepto; inde igitur annos Tiberii Euangelista putauit, à quo si retexamus annos 30 completos, natus reperietur Consulibus, quos pridem constituimus.

4. *Argum.* 6. Christus, inquit Ægyptius, mortuus est XIV
» mensis Nisan, feria sexta; sed vno hoc anno XIV
» Nisan fuit feria sexta; ergo vno isto anno mortuus
» est.

Solutio. Respondemus neque XIV mensis Nisan mortuum esse, neque illo anno XIV fuisse feria sexta.

5. *Argum. ab Hebdomadis Danielis.* 7. Prolixè tandem disputat de 70 hebdomadis Danielis, & quia putat finiri illas in annis suis Iulianis 3949, & 3984, ideo colligit, vno natum fuisse Christum, altero passum.

Equidem declinassem libenter hoc argumentum, quod sciam, neminem esse adeo alba linea in rebus sacris, quin bene norit, quàm insulsa res sit, ab Hebdomadis Danielis colligere annos natalis, & passionis Christi, ac si illæ istis essent certiores, & notiores. Quia tamen Ægyptius sententiam suam rem pulcherrimam arbitratus eam suauissimè exosculatur, eáque vna præferri se vult omnibus, à quibus ad hanc vsque diem de hac controuersia scriptum est, ego argumentum indiscussum præterire neque potui, neque volui, non male operam locaturus, si eiecero trabem hanc de oculo fratris. Verba Danielis seu verius Gabrielis ad Danielem cap. 9. sunt hæc: *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animaduerte, ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem vsque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum, & post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est.* Responsio.

Quatuor scriptura commemorat de reducendis Hebræis, & restituendo templo Regum Persarum decreta, primum Cyri, secundum Darii, tertium & quartum Artaxerxis. Cyri anno primo; Darii secundo; Artaxerxis septimo, & vicesimo. Cyri Esdræ 1. c. 4. Darii c. 6. Artaxerxis lib. 1. c. 7. & lib. 2. c. 2. & 5.

De duobus iam ferè conuenit inter omnes, heb- Status controuersiæ.

domadas istas esse hebdomadas annorum, non dierum, & eorum initium ab aliquo ex his quatuor decretis esse sumendum, quum Angelus Danielem eas numerare docuerit ab exitu Verbi, vt iterum ædificetur Ierusalem. Sed quia inter primos decem Persarum Reges Darij duo, duóque item Artaxerxes fuêre, Darij Histaspis & Nothus, Artaxerxes Longimanus, & Memor, vtriusne Darij, & Artaxerxis fuerint ea decreta, hoc disceptatur, exploso iam communibus eruditorum suffragiis decreto Cyri, quòd eius regnum vltra septuaginta hebdomadas anteierit Saluatorem. De earum exitu conuenit inter Christianos, eas in Messia finiri; soli refragantur Hebræi, qui earum exitum ponunt in excidio Vrbis. Scaliger, & Ægyptius nos inter, & Hebræos media incedunt via; Septuaginta hebdomadas finiunt in excidio Vrbis cum Hebræis, sexaginta duas in morte Christi, & Ægyptius nouo quodam commento, quinquaginta quinque in anno Saluatoris natali. Septuaginta putat à secundo anno Darij Nothi, sexaginta duas à quinto Artaxerxis Memoris, quinquaginta quinque à vicesimo eiusdem Regis. Verba enim illa: H*ebdomades septem, & hebdomades 62 erunt*, sic explicari vult, hoc est, *hebdomades septem subducendæ ab hebdomadis sexaginta duabus, vt remaneant quinquaginta quinque*. Et hæc eorum omnium, quæ scribit à cap. 19. ad 25. summa est. Ego relicta Prisciano, qui ea grauiter vapulat, integra refutatione tertiæ interpretationis, de aliis compendio dicam.

Opinio Scaligeri & Ægyptij.

8. A Cyro primo Persarum Monarcha ad Artaxerxem Memorem in Perside ita regnatum est.

Regum Persarum Chronologia.

Cyrus	an.	30
Cambyſes cum Magis	an.	8
Darius Hiſtaſpis	an.	36
Xerxes	an.	22
Artaxerxes Longimanus	an.	40
Xerxes, & Sogdianus	an.	00—m.9
Darius Nothus	an.	19
Artaxerxes Memor	an.	40

In duobus Regibus diſſidet ab hac Chronologia Ægyptius, in Cyro, & Xerxe. Contra omnia cœli & terræ teſtimonia, quæ dicam cap. vltimo, Cyri primum facit tertium Olympiadis 55, quum fuerit primus. Et Xerxi tribuit annos tantum viginti, quum regnauerit 22, ſed quia neutrum magni refert ad hoc argumentum, nunc ei libenter largimur vtrumque. Eius anni Iuliani ad ducendas, & ſubducendas rationes accommodatiſſimi ſunt; quare omiſſis Olympicis, iſtis ceu notioribus vtemur.

Primus Cyri Ægyptio fuit Iulianus	3394
Primus Darii Nothi	3529
Primus Artaxerxis Memoris	3548
Annus Chriſti natalis fuit	3950
Annus Paſſionis	3984
Ierofolymorum excidium.	4021

9. His explicatis, quibus ſine neque prophetia intelligi, neque argumentum enodari poteſt, expendamus vtrumque. Verba Gabrielis ſunt: *Scito, & animaduerte, quòd ab exitu Sermonis, vt iterum ædificetur Ieruſalem vſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt.* Verbum illud, *erunt*, non poteſt accommodari ſolis hebdomadis *Opinio Scaligeri & Ægyptij refutatur.*

62, sed ex apposita coniunctione enunciatur, & necessariò intelligendum est de tota ea, quæ ex vtroque numero summa consurgit. Si quis enim Ægyptium vixisse dicat annos septem & septuaginta, & ego eum sic interpreter, vt dicam, vixisse quidem illum annos septuaginta, sed non septem, quis me non irrideat? Si ex mente Angeli omnes sexaginta nouem ad Christum Ducem nostrum putandæ sunt, à secundo Darii Nothi putari non possunt. Nam hebdomades 69 sunt anni 483; à secundo Nothi ad annum Passionis, siue ab anno 3530 ad annum 3984, anni fuerunt 454. non ergo ab edicto illo 69 hebdomades inchoandæ.

10. Minus erratum certè in sexaginta duabus, quam in 69, erratum tamen etiam in eis est. Septimus annus Memoris, quo edictum primum eius Regis datum est, fuit Iulianus 3554. Annus Passionis Christi 3984. Differentia 430, hebdomades 62 sunt anni 434. Ergo ex hyppothesi Ægyptii Christus passus non esset post hebdomadas sexaginta duas, sed sexagesima secunda mediante, quod pugnat cum vaticinio Danielis.

Responsio Ægyptij. Videtur Ægytius post Scaligerum vidisse hanc obiectionem, eique sic occurrit. Esdram egressum ex Babylone anno 7 Artaxerxis haberi ex scriptura, at non haberi, quòd eodem anno promulgatum fuerit, edictum illud. Duobus verò annis ante id factum putat, quo commodè conuocari possent Hebræi per varia loca dispersi, & iter adornare.

Confutatio. Cæterùm error quadriennii non compensatur biennio, & quæ dicuntur, gratis ab eo dicuntur.

Ecquid

Ecquid enim id interſtitii requirit in hoc edicto, & non in duobus Darii, & Artaxerxis? Illa ipſa die, qua promulgatum fuit edictum Pharaonis, potuerunt adornare iter, & Ægypto cedere vltra vicies centena millia Hebræorum, & totos duos annos exegerint ad adornandum iter ex Babylone quadraginta eorum millia? Mancipia, quæ libertate donantur, annos requirunt ad adornandum iter? nos errare non patitur Eſdras, qui lib. 3. c. 8. diſertis verbis ſcribit, edictum Artaxerxis non ante ſibi datum à miniſtris Regis, quàm Hebræis congregatis, omnia ad iter neceſſaria parata eſſent. Igitur edicti promulgatio proxima fuit egreſſui, & nullis hebdomadis Danielis probari poteſt Chriſtum eo anno paſſum, quo vellet Ægyptius.

11. Immo ſi eum nos imitari velimus, & poſt tot homines doctos in hebdomadas Danielis noſtram nos quoque ſymbolam dare, multò probabilius annum paſſionis à nobis conſtitutum poſſumus confirmare, ſumpto hebdomadarum initio ſeu à primo, ſeu à ſecundo edicto Longimani, quod vtrinque & æquè bene numerari poſſint. Annus nimirum eius Regis primus fuit etiam primus Olympiadis 79, Iphyti 313, ergo eius ſeptimus, quo edictum primum promulgatum fuit, fuit Iphyti 319 annus baptizati, & cœlitùs declarati & conclamati Chriſti, quo ſcilicet eum mortales audire iuſſi ſunt, & tanquam Ducem ſequi, fuit nobis ducenteſimæ primæ Olympiadis ſecundus, Iphyti 802. Differentia annorum 483, quæ reddit integras hebdomadas ſexaginta nouem, quas Angelus futuras prædixit. ab exitu

Opinio Authoris probabilior, quæ confirmatur, quæcumque de anno paſſionis diſputata ſunt.

Huc referenda ſunt, quæ habentur c. 4. p. 101.

verbi, vt iterum ædificetur Ierusalem vsque ad Christum ducem, anno quarto post baptismum labente, hebdomadáque septuagesima dimidia, Christus in ara Crucis oblatus sacrificiis Mosaicis, quæ illius oblationis fuere prænuncia, finem imposuit; & sic impletum quod Angelus prædixerat: *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus; & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium.*

At si à secundo Artaxerxis edicto, & anno eius vigesimo hebdomadas putare libeat, eas annorum lunarium cum Africano, Theodoreto, & aliis constituemus. Lunares verò 483 sunt Solares 468, menses nouem, dies viginti, quos si addas anno Artaxerxis vigesimo, & Olympico 333. consurget annus Iphyti 802, quem ex sententia nostra initiis Ducatus sui Christus nobilitauit. Si ergo neque anno illo primitiuo Hebræi vsi sunt, neque de eo Cyclo cogitauit Adamus; si neque mensibus, neque annis, quibus Ægyptius arbitratur, Christus natus, adoratus, baptizatus, passus est; si demum anno illo Aprilis XIII non fuit feria sexta, & feria sexta procul fuit à Luna quarta decima mensis primi, in tuto restat Ecclesiæ Catholicæ dogma de Cœna Christi Paschali, quod ex primo argumento Ægyptij his potissimum machinis impetebatur. Ab eo igitur explicati cætera prosequamur.

Diluitur secundum argumentum contra Christi Cœnam Paschalem.

12. Ad secundum, quod est vetus argumentum hæreticorum apud Theophylactum, de renibus accinctis, cæterisque cæremoniis, quæ præcipiuntur in Exodo, respondemus: eas immutatas fuisse post reditum è Babylonica seruitute, proque illis eas sub-

ſtitutas, quibus vſus eſt Dominus; quas ad hãc vſque diem Hebræi retinent, vt conſtat ex eorum rituali. *Antiquus ſynagogæ ritus mutatos in captiuitate.*

13. Ad tertium, præcipit quidem lex vt agnus aſſetur igne, at ne alia elixentur, neque à Moyſe ſcriptum eſt, neque dictum à Deo. Hebræi verò ex rituali ſuo ea nocte lactucas, & alia quædam elixant, tinguntque azyma in communi catino. Immo 2. Paralip. c. 35. de Paſcha, quod celebratum eſt à Ioſia habentur hæc verba: *Et aſſauerunt phaſe ſuper ignem, iuxta quod in lege ſcriptum eſt; pacificas verò hoſtias coxerunt in lebetibus, & cacabis, & ollis, & feſtinato diſtribuerunt vniuerſæ plebi.* *Et tertium. Lex non prohibet elixa in Paſchate.*

14. Ad quartum, Quo ponderantur articulatim omnia, quæ poſt Cœnam à Chriſto geſta ſunt, reſpondemus, ea omnia factu fuiſſe facillima. Quod enim primò dicitur de portis clauſis, falſum eſt. Ieruſalem enim, quòd eſſet matrix Religionis Hebrææ diu, noctúque patebat. Hinc ea Idumæorũ apud Ioſephum de portis etiam bello ingruente clauſis, querela: *Vrbem omnibus alienigenis religionis cauſa patentem nunc domeſticis præcluſiſtis.* *Et quartũ. Portæ Hieruſalem ſemper patebant.* *Lib. 4. de bello c. 6.*

Torrens Cedron in ſuburbiis portæ ſterquilinij medius inter vallem Ioſaphat, & montem Oliuarum labebatur, mœniis ciuitatis multò propinquior, quàm Bethaniæ, vnde progreſſum Chriſtum poſt cœnam Ægyptius putat. Cætera, quæ geſta in Vrbe narrantur, nocte, qua captus eſt Chriſtus, tantundem temporis poſtulant, ſi cœnauit in Vrbe, quantum ſi cœnaſſet extra. Nec video quid incommodi ſit, quòd poſita cœna in Vrbe, commodè, & *Et quintũ. Torrens Cedron propè mœnia vrbis.*

plusquàm commodè vitari non possit.

Et sextum. Inepta illatio Ægyptij. 15 Ex verbis Ioannis post Cœnam; *Erat autem nox*, negamus, rectè colligi, ergo ante noctem cœnari cœptum est; nisi quis dicat, cœnam, quæ nocte finitur, nocte inchoari non posse. S. Marcus dixit, illum venisse, *cum discipulis vespere facto*; & S. Lucas adiecit, discubuisse, *quum facta esset hora*; neque ergo *Censorinus.* ante noctem, quia post vesperum, cuius initium sumitur ab ortu Hesperi, neque alia hora, quàm lege constituta cœnauit.

Scaligeri, & Ægyptij lapsus insignis in connexione annorum Sacrorum cum Olympicis.

CAP. VI.

Varroniana temporis diuisio in tres periodos. 1. MARCVS Varro summi ingenij vir, quum omnes præteritorum temporum periodos in tres quasi classes redegisset, prima complexus est quicquid rerum fuit à prima earum origine ad cataclismum. Secundam produxit à cataclismo ad Olympiadem primam. Tertiam à prima Olympiade ad suam ipsius ætatem. Tempus primæ periodi, tum propter ignorantiam rerum in eo gestarum, tum quod gentes incertæ erant, cœpissetne aliquando, an esset æternum, vocauit ἄδηλον. Proximum quòd veris falsa, & historicis fabulosa permixta tulisset, vocauit μυθικόν. Postremum historicum, quòd res in eo gestæ veris historiis explicatæ haberentur. Quum imitatus Iulius Africanus libro Annalium

tertio: *Vsque ad Olympiadas*, inquit, *nihil exploratum in historia Græcorum inuenitur, sed omnia confusis conscripta temporibus sunt. Post Olympiadas verò, quoniam quadriennio diligentissimè omnia notabantur, nulla penitus confusio temporum fit.* Et Iustinus Martyr in cohort. ad Græcos: *Atqui*, inquit, *ne hoc quidem vos ignorare decet, nihil ante Olympiadas à Græcis accuratè scriptum esse, neque extare scripturam vllam veterem, in quam res aliqua Græcorum vel Barbarorum sit relata.* In hanc periodum incidit magna eorum pars, quæ sacris libris consignata fuerunt, siue historiam spectes, siue Prophetarum vaticinia; quare Sanctus Augustinus lib. de doctrina Christiana 2. c. 28. Doctorem Ecclesiasticum instituens: *Quidquid*, inquit, *de ordine temporum transactorum indicat ea, quæ appellatur historia, plurimum nos adiuuat ad sacros libros intelligendos; nam & per Olympiadas, & per Consulum nomina multa sæpe quæruntur à nobis.* Idque multò acrius, & vehementius inculcasset, si nostra, aut Patrum ætate vixisset, qua hæretici huiusmodi argumentis instructi pleraque Catholicæ Ecclesiæ dogmata euertere conati sunt. Quod vero hoc in genere omnium suffragiis potissimum censetur, est connexio annorum sacrorum cum Olympicis, quæ vt appositè facta, tanquam Ariadnæ filus è sinuoso sacrarum quæstionum labyrinto facile nos educit, ita si perperam instituatur, luxari innumera, suisque moueri sedibus necesse est, résque suapte natura difficiles, & obscuras difficultatibus multo maioribus, & sæpe insuperabilibus implicari. Rei necessitate permoti plerique omnes scriptores, quibus aut vetus testamentum interpre-

Notitia Olympicæ periodi vtilitas quanta.

Connexio annorum sacrorum cum Olympicis cognitu necessaria.

tari placuit, aut de ſacris dogmatibus, & de emendatione temporum diſceptare, aut antiquiorum rerum annales ſcribere, texereue earum Chronologias, magnum operæpretium facturos ſe arbitrati ſunt, ſi bene annos Olympicos cum ſacris à capite colligarent. Verùm aggreſſi rem, tantis difficultatibus obnoxiam repererunt, vt innumeras in partes abire coacti ſint, víxque vnum reperias, qui alteri conſentiat. Ioſepho tamen Scaligero nemo infelicius hac in palæſtra ſudauit, quem videas ſecum pugnare, vnam & eandem connexionem probare, reiicere, tranſire à prima ad ſecundam, à ſecunda ad tertiam; & quanquam nuſquam pedem figere poſſit, vbique tamen demonſtrationes iactare. Quam tamen poſtremo loco ſententiam amplexus eſt, ea Olympiadem primam coniecit in Regnum Azariæ Regis Iuda, annúmque eius trigeſimum octauum, quo etiam ferè loco Auctor anni primitiui annos Olympicos inſeruit annis ſacris. Ego vero non vanis coniecturis, & arbitrariis ſcripturæ interpretationibus, ſed ſolidiſſimis rationibus ductis è media hiſtoria tum ſacra, tum profana, demonſtrandum ſuſcipio, eos feciſſe Olympiadas ſedecim, & ſeptemdecim annis antiquiores, quàm fecerit Iphytus, vt errore ab vno cæteros intelligant.

Connexio Scaligeri, & Ægyptij confutanda.

Vtriuſque Chronologiæ nexus anni Nabonaſſari.

2. Nerui connexionis meæ ſunt anni Nabonaſſari tota antiquitate notiſſimi, quos connectam cum annis olympicis, ſiue Iphyti, mox annos ſacros cum annis Nabonaſſari; atque ita demum annos ſacros cum annis Iphyti. Aio itaque annum Iphyti 29 qui fuit primus octauæ Olympiadis, fuiſſe primum Re-

Quis annus primus Nabonaſſari inter Olympicos.

gni Nabonassari, idque ostendo tribus argumentis.

3. Cyrum iniisse regnum anno primo Olympiadis LV, qui fuit Iphyti 217, vetustissimi, & probatissimi scriptores tradiderunt, quos refert, & sequitur Africanus apud Eusebium de præpar. lib. 10. Diodorus, Thalus, Castor, Polybius, Phlegon. Regnasse annos 30. scripserunt Cicero de Diuinatione, Chtesias Cnydius in Persicis, Iustinus lib. 1. Clemens Alex. 1. Strom. Eusebius in Chron. & cæteri passim. Decessit itaque Olympiadis 62 anno 2, qui erat Iphyti 246, filio Cambyse in regni possessione relicto. *Prima ratio.*

Ptolemæus Almagesti lib. 5. c. 14. ex antiquis obseruationibus Babylonicis refert deliquium Lunæ ad annum Cambysis septimum, & Nabonassari 225. Si ergo primus Cambysis, qui patri Cyro successit fuit Iphyti 247, Cambysis septimus fuerit Iphyti 253, abiice annos Nabonassari ab annis Iphyti, differentia erit annorum 28, vt iam 29 Iphyti fuerit primus Nabonassari, qui quærebatur.

4. Cambysen cum Magis octo solidos annos regnasse, qui reddunt duas integras Olympiadas, scribit Herodotus, Magísque eiectis Darium Histaspis regno potitum esse: itaque anno Iphyti 254 exeunte pulsi Magi, & anno 255 ineunte Darius Histaspis regnum auspicatus est. Ptolemæus 4. Almag. cap. 9. ex eisdem obseruationibus refert duas eclipses lunares, primam anno 20 Darii, (quem primum vocat ad differentiam posteriorum Nothi & Ochi) 245 Nabonassari; secundum Nabonassari 257, & eiusdem Darij 31. Itaque si primus Darij fuit 255 Iphyti, eiusdem vi- *2. ratio.*

gesimus fuerit Iphyti 247. & 31 Darij Iphyti 285. Abiice vtrinque annos Nabonassari ab annis Iphyti, habebis differentiam 28, & Iphyti 29 erit Epocha Nabonassari, quam quærebamus.

5. Alexandrum è viuis excessisse anno quarto exacto Olympiadis 113, qui fuit Iphyti 452 asserunt Diodorus lib. 17. Clemens 1. Strom. & Iosepho teste, libro conta Appionem primo, constans omnium scriptorum sententia est. Ptolemæus 3. Almag. c. 8. & alibi frequenter asserit, 424 Nabonassari esse initium Epochæ à morte Alexandri, quam apud veteres in vsu fuisse constat ex obseruationibus Calippi, Hipparchi, Ptolemæi, & aliorum, vt Ptolemæus ipse author est. Quare si subducas annos Nabonassari 423 ab annis Iphyti 452, etiam ex hoc cap. colliges Iphyti 29 fuisse annum primum Nabonassari. Errat igitur Ægyptius in hac connexione, qui primum Nabonassari coniicit in tertium Olympiadis octauæ, qui fuit Iphyti 31. Colligatis annis Nabonassari cum annis Iphyti, connectamus iam annos sacros cum annis Nabonassari.

Error Ægyptij in conex. æra Nabonassari cum Olympica.

Nexus æræ Nabonassari cum annis sacris est Regnum Nabopollassari Regis Babylonis in Ptolemæo.

6. Scribit Ptolemæus Almag. lib. 5. c. 14. Lunam defecisse anno quinto Nabopollassari, & 127 Nabonassari, vnde colligitur, Nabopollassari primum fuisse Nabonassari 123, & ex iis, quæ dicta sunt, Iphyti 151, tertium scilicet Olympiadis tricesimæ & octauæ. Quisnam fuerit Nabopollassarus ille, in controuersia est. Iosephus Scaliger, & Ægyptius fuisse volunt Nabulassarum Regem Babylonis Nabuchodoxori patrem; ego verò Nabopollassarum fuisse dico Nabuchodonoxorum Nabulassari filium, qui templum

Quis fuerit ex opinione Scaligeri, & Ægyptij, quis ex authoris sententia.

plum Ierosolymorum cum vrbe diruit, Iudæósque in Babylonem ter duxit captiuos, regnantibus in Iuda Ioachin, Ieconia, & Sedecia. Id si probem, de connexione annorum sacrorum cum annis Nabonassari, & cum Olympicis dubitari non poterit; iam enim compertum est, Nabopollassari primum fuisse Nabonassari 123, Iphyti 151.

7. Inter initia Nabopollassari, & Cyri interceptos fuisse annos *66*, certum est; nam Cyrus regnum iniit Iphyti anno 217, qui erat Nabonassari 18*9*: Nabopollassarus anno Nabonassari 123, & Iphyti 151. Igitur à primo Nabopollassari ad primum Cyri sunt anni *66*. quare si constet tot annos intercessisse ab initio Nabuchodonoxori ad initium Cyri, exploratum erit Nabuchodonoxorum fuisse Nabopollassarum Ptolemæi.

Ratio prima. Nabuchodonoxorum fuisse Nabopollassarum probatur ex fragmentis Berosi.

8. Berosus Chaldæus, non fictitius Annij, sed verus ille, qui fuit Beli Sacerdos, author perquam vetustus, & magnæ fidei, rerum & Regum Babylonis scripsit historias, quarum fragmentum hodieque extat apud Iosephum libro contra Appionem primo, cuius hic partem appono.

Nabulassarus	regnauit an.	2*9*
Nabuchodonoxor ——	an.	43
Nitiglissoror ————	an.	4
Laborosardochus ——	an.	o—m.*9*
Nabonidus ———	an.	17

Anno XVII Nabonidi, inquit Berosus, *egressus Cyrus ex Perside impetum fecit in Babyloniam vrbem.* Itaque ab initio Nabuchodonoxori ad obsessam Babylonem XVII Nabonidi sunt anni *64* m.*9*. Anni Regni

Cyri ab adepta Babylone sumebant initium, ideo edictum Cyri de reducendis Hebræis ex Babylone perpetuo refertur ad annum primum Cyri, vt videre est 2. Paral. 36. 22. Esdræ 1. c. 1. 1. c. 6. 3. & lib. 3. c. 6. 24. Quare si obsidioni Babylonis, qua omnium scriptorum consensu Cyrus statim potitus non est, dentur XV, menses: illi 66 anni, qui sunt inter primum Nabopollassari, & primum Cyri, erunt inter primum Nabuchodonoxori, & primum Cyri, atque ideo Nabopollassarus Ptolemæi fuerit Nabuchodonoxor sacræ Scripturæ.

Ratio secunda ex annalibus Phœnicum.

Iosephus eodem libro ex archiuiis Phœnicum, hos eorum Magistratuum Annales producit.

Sub Rege Ithobalo Nabuchodonoxor	
Obsedit Tyrum annis	an. 13
Baal post hunc regnauit annis	10
Post hunc Iudices	
Echnibalus Bassechi	00—m. 2
Chelbis Abdei	00—m. 10
Abbarus Pontifex	00—m. 3
Mittonus & Gerastus	06—
Balatorus	1—
Merbalus	4—
Iromus Rex	20—
	an. 55—m. 3

Addit verò Iosephus vt rem omnino certam, anno septimo Regni sui *Nabuchodonoxorum cæpisse obsidere Tyrum, & anno 14 Regis Jromi Cyrum Persarum tenuisse principatum.* At irrepsisse mendum hunc in locum, & pro septimo reponi debere decimo nono, osten-

dam post scripturæ testimoniis. Nobis, qui Cyri initia quærimus, satis nunc est, quod anno 14 Iromi Regis Tyri Cyrus regnum Persarum adeptus est. Quare ex annalibus Phœnicum ab initio obsidionis Tyri per Nabuchodonoxorum ad initium Regni Cyri sunt anni 49. Si ergo demonstrem, Nabuchodonoxorum obsidere cœpisse Tyrum anno 19 Regni sui, à primo Nabuchodonoxori ad primum Cyri intercesserint certe anni 67, quos fere intercessisse inter Nabopollassarum & Cyrum, compertum habemus.

10. Exeunte anno iij Ioachin filij Iosiæ Regis Iuda Nabulassarus Chaldæorum Rex grandæuus iam, & per ætatem bellicis laboribus impar, Nabuchodonoxorum filium in Regni societatem adsciuit; & ideo annus primus Nabuchodonoxori concurrebat cum tertio, & cum quarto Ioachimi, vt apud Danielem, & Ieremiam videre est. Vix verò adolescens ingentium spirituum sceptris manum admouerat, quum collecto fortissimo exercitu, ad flumen Euphratem occurrit Necaoni Ægyptiorum Regi, qui Syria domita & in potestatem redacta, Chaldæorum ceruicibus imminebat. Cœloque pro Chaldæis pugnante, victi fugatíque fuerunt Ægyptij, Syriáque omnis concessit in potestatem victoris, & præsertim Hierusalem, quæ Regem sequuta suum, postquam tantisper reluctata est, deditionem fecit. Cuius Regis vices misertus Nabuchodonoxor nedum dedito libertatē, sed & libero regnum restituit, vectigalem reddidisse contentus. At Ioachin virium, nescio, Nabuchodonoxori, an beneficiorum oblitus, tribus elapsis annis, vectigalia pendere

Disputatio de obsidione Tyri, quo anno Nabuchodonoxori cœpta sit.

recuſauit, apertámque in defectionem erupit. Qua reuocato in perniciem ſuam Nabuchodonoxoro Regno ſimul & vita priuatus eſt. Hac tamen humanitate Babylonius proſequutus eſt defunctum Regem, vt filium eius Ieconiam vix pubeſcentem patris in ſede locaret. Sed quum is quoque diuina humanáque iura pariter ac pater eius parui penderet, tribus elapſis menſibus, Babylonico milite obſeſſus deditionem facere coactus eſt, ipſéque, mater eius, vxores, & decem nobiliorum hominum millia captiua ducta ſunt in Babylonem, ſpoliatáque vrbe, & direpto templo Sedeciam captiui Regis patruum Babylonij accepta fide ad regnum euexêre. Quo anno iſta contigerint, videntur non conſentire Ieremias, & quartus Regum; ille enim: *Iſte eſt populus*, inquit, *quem tranſtulit* Nabuchodonoxor *anno ſeptimo.* Iſte: *Suſcepit eum* Rex *Babylonis anno octauo regni ſui.* Conciliari tamē poſſe facile, oſtendā poſt. Sedecias à Pſeudoprophetis vana ſpe libertatis lactatus, fiduciáque virium Ægypti, Tyri, & cæterarum finitimarū gentium, quas ſibi fœdere iunxerat, nimium elatus, anno Regni ſui nono iugum Babylonicum excuſſit. Cuius perfidia prouocatus Nabuchodonoxor, maioribus copiis inſtructus Iudæam inuaſit, Ieroſolymam obſidione cinxit, faméque tandem expugnatam, menſe duodeuigeſimo in poteſtatem redegit. Ibique iugulatis filiis Sedeciæ, vidente patre, mox ipſi oculos eruit, cúmque catenis onuſtum Babylonem tranſmiſit. Ieremias 29.1. & 54,4. *Anno nono Sedeciæ Regis Iuda menſe decimo venit* Nabuchodonoxor *Rex* Babylonis, *& omnis exercitus eius in Hieruſalem, &*

Diſſidium annorum Nabuchodonoxori.

Hieroſolyma capta anno Nabuchodonoxori xiix & xix.

obsedit eam; Vndecimo autem anno Sedeciæ mense quarto, quinta mensis aperta est ciuitas. Annis Sedeciæ qui anni responderent Nabuchodonoxori, scribit Ieremias c.32. *In anno decimo Sedeciæ* Regis *Iuda, ipse est annus decimus octauus Nabuchodonoxor, tunc exercitus Regis Babylonis obsidebat Jerusalem.* Mense insequenti Nabuzardan magister militum Nabuchodonoxori ad excidium Ierosolymorum missus à Rege suo, templum diruit, totámque vrbem igni ferróque vastauit. Ierem. 52.12. & 4. Reg.25.8. *Mense quinto, septima mensis ipse est annus nonus decimus Regis Babylonis, venit Nabuzardan Princeps exercitus seruus* Regis *Babylonis, & succendit domum Domini, & domum* Regis. Itaque cepit vrbem sanctam Nabuchodonoxor mense quarto, quinta mensis, solo æquauit eam Nabuzardan mense quinto, septima mensis anni 19 Nabuchodonoxori.

Annorum Nabuchodonoxori principium duplex.

11. Cæterùm quid est, quòd quem annum quartus Regum, & Ieremias c.52.12. numerant vndeuicesimum, eundem Ieremias ipse cap. 52. 29. dicit duodeuicesimum? Huius ambiguitatis causæ duæ, ni fallor, afferri possunt; prima, quod anni Regũ duplici ex capite apud Hebræos putari solebant, ab exordiis regni, & à primo Nisan. Qui à primo Nisan, tantum interuallum ab exordiis regni ad caput anni sacri referebant, ad vltimum annum defuncti Regis, primum viuentis auspicaturi ab eo, qui annum proximum aperiturus erat. Ideo quibus ordiri placebat ab exordiis Regni, annus tanto tempore annum alterum anteuertebat, quanto initia regni caput anni insequentis. Vtraque Epocha annorum Nabucho-

donoxori vtuntur sacri Scriptores, hinc eundem annum dicunt septimum & octauum, eumdemque decimum octauum, & decimum nonum. Altera, & fortasse verior est, quam indicant Berosi fragmenta, nimirum Nabuchodonoxorum patre superstite ascitum in sortem regni, expeditionem Ægyptiacam suscepisse, annúmque integrum cum Patre Nabulassaro regnasse; quo elapso & Nabulassarus mortuus est, & Nabuchodonoxor regnum adiuit, cuius summa cum tranquillitate possessionem obtinuit. Hinc annorum Nabuchodonoxori Epocha duplex, à corona primum suscepta, & à sola sine collega Monarchia, eáque anno antiquior. Scaliger in Isagogicis, & libro 5. de emendatione Nabuchodonoxorum annos septem cum patre regnasse vult; in prolegomenis verò, & in notis ad Berosum, Regni societatem producit ad tertium decimum; & quanquam secum ipse pugnet, assertióque assertionem tollat, vtrobique tamen (leuitate, an audacia maiori, dicam, nescio) venditat demonstrationes more suo.

Obsidio Tyri celebris.

12. Accessimus iam ad obsidionem Tyri, quæ huius argumenti neruus est, eámque si Iosepho credimus, celeberrimam multas ob causas, præsertim verò ob diuturnitatem. Et mira certè res fuit, quod vnica ciuitas sistere potuerit torrentem felicitatis illius impotentissimi Monarchæ, qui omnia regna orientis vno impetu corripuit, diripuit, euertit. At minus mirabitur, qui ea legerit, quæ de obsidione & excidio eius scripta reliquit Q. Curtius, de rebus gestis Alexandri libro quarto. Scaliger putat cœptam anno primo Nabuchodonoxori, solutam

Eius initium & finis ex Scaligero.

tredecimo, quàm verè, iam video.

Nabuchodonoxoro regnante floruerunt Prophetæ quatuor Ieremias,& Baruch, Ezechiel, & Daniel. Daniel anno primo Nabuchodonoxori captus est, vt de se testatur ipse cap. 1. & 2. ductúsque in Babylonem, ibi ad Cyrum vsque vixit, & floruit. Ezechiel eandem in seruitutem abductus est cum Iecona anno septimo seu octauo Nabuchodonoxori, vt asserit ipse cap. 40. Ieremiam & Baruch post excidium Ierosolymæ Nabuchodonoxor liberos esse iussit, & siue incolere rudera vrbis, siue alio abire, vt luberet, Ierem. 40. Ezechiel, qui multò quàm cæteri clarius de illa obsidione loquutus est, tantillum explicari desiderat: solet enim non indicata Epocha dicere: *Anno quarto, anno quinto*, &c. eam tamen esse annum captiuitatis Ieconiæ probari facilè potest: his quippe verbis ille vaticinari orsus est: *Et factum est in tricesimo anno, in quarto, in quinta mensis, qùum essem in medio captiuorum iuxta fluuium Cobar, aperti sunt cœli, & vidi visiones Dei, ipse est annus quintus transmigrationis Regis Ioachin.* Omissa verò Epocha anni 30 (quæ vnde pendeat, non ita certum est) perpetuo sequitur Epocham captiuitatis Ieconiæ, sic c. 6. *Factum est in anno sexto, in sexto mense*, & sextus quidem non est sextus trigesimi, sed quinti. Et c. 20. *Factum est in anno septimo in quinto.* Et cap. 24. *Factum est verbum Domini ad me in anno nono, mense decimo.* Et apertè tandem c. 40. *In vicesimo quinto anno transmigrationis nostræ, in exordio anni, decima mensis, quarto decimo anno, postquam percussa est ciuitas.* Itaque vaticiniorum Ezechielis Epocha est transmigratio, & captiuitas Regis Ioa-

Prophetæ qui tempore Nabuchodonoxori.

Æra annorum Ezechielis quæ.

chin, quemadmodum iampridem à Sancto Hieronymo obseruatum fuerat.

13. Duo sunt illustria Ezechielis testimonia de obsidione Tyri, vnum cap. 26. alterum 29, illud de initio, istud de exitu eius. Primo loco: *Et factum est,* inquit, *in vndecimo anno, prima mensis, factus est sermo Domini ad me dicens, Fili hominis pro eo, quod dixit* Tyrus *de Ierusalem: Euge confractæ sunt portæ populorum, conuersa est ad me, implebor, deserta est. Propterea hæc dicit Dominus. Ecce ego super te* Tyre, *& ascendere faciam ad te gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans*, &c. *Ecce ego adducam ad* Tyrum *Nabuchodonoxor regem* Babylonis *ab Aquilone* Regem *Regum cum equis, & curribus, & equitibus, & cœtu, populóque magno.* Quod argumentum prosequitur totis duobus capitibus sequentibus. Cæterùm ad ea vsque tempora nullis Tyrum fuisse affectam incommodis, sed summa, & incredibili quadam felicitate exundasse, docet capitibus 28 & 29 quibus præsentem eius statum ob oculos ponit. Si ergo hanc obsidionem Tyro minatur Deus anno XI Ieconiæ, qui erat XVII. & XIIX Nabuchodonoxori, eámque minatur imminente excidio Ierosolymorum, quæ anno XIIX & XIX Nabuchodonoxori euersa sunt, fieri nequit, vt Tyrus ante XVII Nabuchodonoxori obsessa sit. Capite altero de fine obsidionis hæc habet Ezechiel: *In vicesimo septimo anno in primo in vna mensis factum est verbum Domini ad me dicens. Fili hominis* Nabuchodonoxor Rex Babylonis *seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus* Tyrum. *Omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus est, & merces non est reddita ei, neque exercitui eius de* Tyro *pro seruitute,*

Obsidio Tyri cœpta xviii Nabuchodonoxori.

ſeruitute, qua ſeruiuit mihi aduerſus eam. Obſidionem illam plane diuturnam fuiſſe, nec minus, quàm annales Phœnicum prodidêre, indicio ſunt verba illa: *Seruire fecit ſeruitute magna aduerſus* Tyrum. *omne caput decaluatum, & omnis humeruss depilatus eſt.* Inglorium inde receſſiſſe Nabuchodonoxorum, illis expreſſum ſatis: *Et merces non eſt reddita ei, neque exercitui eius de* Tyro. Primus capti Ieconiæ erat ſeptimus Nabuchodonoxori. Ergo viceſimus ſeptimus à capto Ieconia erat trigeſimus tertius Nabuchodonoxori. Hoc anno iam ſolutam obſidionem Tyri, monet Ezechiel: cœpiſſe poſt 18 Nabuchodonoxori, oſtenſum eſt; duraſſe tredecim annis, docent monumenta Phœnicum; cœpta igitur fuerat circa decimum nonum Nabuchodonoxori. Qui ergo probandum ſuſceperam Nabuchodonoxorum Tyri obſidionem cœpiſſe anno decimo nono regni ſui, iam fidem liberaui.

Soluta trigeſimo ſecundo.

Emaculetur itaque Ioſephi locus libri contra Appionem primi, de anno ſeptimo obſidionis Tyri. Et caſtigetur Scaliger, qui lapſu nimium inſigni contra tam aperta ſcripturæ teſtimonia hanc obſidionem cœptam dixit anno primo Nabuchodonoxori, ſolutam tredecimo.

Emaculatus Ioſephi locus.

Inſignis Scaligeri error de obſidione Tyri.

14. Si ab initio Regni Nabuchodonoxori ad initium obſidionis Tyri ſunt anni 19 ex ſacra Scriptura, & hinc ad initium Regni Cyri ex annalibus Phœnicũ anni 48: ab initio Regni Nabuchodonoxori ad initium regni Cyri erunt anni 67, quot fere numerati ſunt ab initio regni Nabopollaſſari ad initium Cyri. Vnius enim tantum anni varietas reduci

potest vel in annorum fragmenta, vel in diuersa initia, vel demum in diuersitatem luminaris, cuius motum anni metiuntur. Quum ergo anni Regum Chaldæorum, annales Phœnicum, Archiuia Tyriorum cum Scriptoribus sacris tanto consensu constituant illud interuallum inter initia Nabuchodonoxori, & Cyri, quod fuit inter initia Nabopollassari & Cyri, fateamur ingenue, Nabuchodonoxorum, & Nabopollassarum, non fuisse duos Reges, sed vnum, & eundem omnino.

15. *Nulla connexio Chronologiæ sacræ cum profana excogitari potest, quæ suis non vrgeatur difficultatibus; verioris tamen & melioris magnum argumentum est, si quæ occurrunt, facile superentur; Quod an nostræ contingat tentandum est. Anno primo Nabuchodonoxori Ieremias c. 25. futurum prædixit, vt Hebræi 70 annis seruituté & captiuitatem Babylonicam paterentur: *Et seruient*, inquit, *omnes gentes istæ* Regi Babylonis *70 annis. Cúmque impleti fuerint in* Babylone *70 anni, visitabo super* Regem Babylo*nis, & super gentem illam dicit Dominus.* Et rursum cap. 29. *Cúmque cœperint impleri in* Babylone *70 anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, vt reducam vos ad locum vestrum.* De horum 70 annorum cum initio, tum fine celebris controuersia est, iam inde à primis Ecclesiæ sæculis summorum virorum scriptis nobilitata. Quum enim tertiùm Ierosolyma à Nabuchodonoxoro capta sit, sub Ioachin filio Iosiæ, sub Iechonia, & sub Sedecia, eiúsque ciues toties Babylonem abducti, inde verò in patriam quater dimissi, sub Cyro, & Dario bis, & bis sub Artaxerxe,

Connexionem Authoris vrgeri difficultate 70 annorum captiuitatis Babylonicæ.

à qua captiuitate initium, à qua libertate terminus ſeptuagenariæ ſeruitutis ſumendus ſit, incertum videtur, habétque omnis ſeruitus, & omnis libertas propugnatores ſuos.

Mihi eorum ſententia probatur, qui terminum conſtituunt in libertate à Cyro primum conceſſa, præterquam enim quod cæteris eſt longe communior, eſt etiam adeo conſentanea verbis ſcripturæ, vt nulla ratione alteri cuiquam accommodari poſſe videantur. Capite vltimo 2. Paralip. ſcriptum habemus. *Si quis euaſerat gladium ductus in* Babylonem *ſeruiuit* Regi, *& filiis eius, donec imperaret* Rex *Perſarum, vt compleretur ſermo Domini ex ore Ieremiæ, & celebraret terra ſabbatha ſua. Cunctis enim diebus deſolationis egit Sabbathum vſque dum complerentur 70 anni. Anno autem primo Cyri* Regis *Perſarum ad explendum ſermonem Domini, quem loquutus fuerat per os Ieremiæ, ſuſcitauit Dominus ſpiritum Cyri* Regis *Perſarum, qui iuſſit prædicari in regno ſuo etiam per ſcripturam dicens; hæc dicit Cyrus* Rex *Perſarum, omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipſe præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Ieruſalem, quæ eſt in* Iudæa, *quis ex vobis eſt ex omni populo eius? Sit Dominus Deus ſuus cum eo, & aſcendat.* Et Eſdræ 1. c. 1. I*n anno primo Cyri* Regis *Perſarum, vt compleretur verbum Domini ex ore* Ieremiæ, *ſuſcitauit Dominus ſpiritum Cyri* Regis *Perſarum, & traduxit vocem in omni regno ſuo etiam per ſcripturam dicens.* Et refert ad verbum edictum, quod ex 2. Paralip. modò retulimus. An hæc verba ſcripturæ eius ſeruitutis, quam Ieremias prædixit, alium terminum patiantur, quàm annum Cyri primum, Lector diſpiciat.

Quorum terminus in libertate à Cyro cõceſſa.

16. Cæterùm si finis annorum 70 sit primus Cyri, nostra connexio dissoluta videtur, quum illorum caput à nulla ex tribus captiuitatibus peti possit, vt singillatim apparet. Anno quippe Nabuchodonoxori primò captus est Ioachin, anno octauo Iechonias, anno decimo octauo Sedecias. Primus Nabuchodonoxori fuit Iphyti 151, octauus 158, duodeuicesimus 168. Quum ergo Cyri primus fuerit Iphyti 217, à capto Sedecia, ad primum Cyri fuerunt anni 49, à capto Iechonia 59, à capto Ioachino 67, nullo ex capite 70. Quare aut in connexione nostra, aut (quod impium dictu est) in vaticinio Ieremiæ error subesse videtur.

Summa difficultatis.

Quæ soluitur.

17. Cæterùm neque in vaticinio, neque in connexione error subest; enimuerò prædixit quidem Propheta, Hebræos 70 annis illam seruitutem seruituros: quales verò anni illi futuri essent, non prædixit. Res, quæ mirum in modum sollicitos habebat, & torquebat Hebræos. Quum enim annorum alij vertentes sint, alij magni; vertentium alij lunares, alij solares; magnorum alij dieterici, alij trieterici, alij tetraëterici, pentaëterici, octaëterici; imo maiores quidam, vt Metonici, Calippici, Hipparchæi, non explicauerat Deus, quonam annorum genere seruitutem Hebræorum diffinisset. Quare Daniel de illorum diuturnitate aliquando tandem edoctus, ac si sigillum magni alicuius arcani assequutus fuisset, de se cap. 9. sic scribit: *Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad* Ie*remiam Prophetam, vt complerentur desolationis* Ierusalem *septuaginta anni.* Ridiculum mysterium, si neminem latuisset.

Censorin. de die Natali c.18.

Quod didicit, hoc fuit, annos illos lunares futuros fuiſſe, & vertentes, non magnos, vel maiores: & quia ſolares 67 ſunt lunares 69 communes, & menſes duo, conſequitur, Cyri primo cœpiſſe ſeptuageſimum à capto Ioachin filio Ioſiæ, & Babylonicæ ſeruitutis ſupremum. Eo autem ineunte captiuitatem ſolutum iri, prædixerat Ieremias c. 29. *Cumque impleri cœperint anni, viſitabo vos, & reducam vos in terram veſtram.*

Initium annorum ſeptuaginta Babylonicæ ſeruitutis.

18. Vrgent tamen adhuc nos viri docti quatuor ſcripturæ locis, quibus 70 iſti anni dicuntur anni deſolationis, ſolitudinis, & vaſtitatis. Quum enim deſolata, vaſtata, & in ſolitudinem redacta non ſit Iudæa, niſi ſub Sedecia, quando templum exciſum fuit, vrbs diruta, & plerique omnes eius ciuitatis cultores ducti in captiuitatem, anno Nabuchodonoxori decimo nono; conſentaneum videtur, ab iſto, non à primo eius Regis anno, annos ſeptuaginta numeratos fuiſſe. Cogimur ideo ea teſtimonia diſcutere ſingillatim, ne videamur aut conſultò diſſimulaſſe quod premit, aut grauiſſimorum virorum argumenta quaſi aquilæ muſcas deſpexiſſe.

Pererius in Daniel. c. 9. Salian. ad ann. mund. 3920. n. 4. Difficultas de annis deſolationis.

19. Principio Ieremias cap. 25. anno quarto Ioachin Ioſiæ filij Regis Iuda, & Nabuchodonoxori primo fore prædixit, vt Nabuchodonoxor Iudæam inuaderet, eámque in ſolitudinem, & in ſtuporem redigeret. Quibus verbis hyperbolicè prænuntiauit ingentia mala, quæ bellum illud conſequutura erant: quod & fecit de Babylone ipſa eodem in loco. *Cúmque impleti fuerint ſeptuaginta anni, viſitabo ſuper Regem Babylonis, & ſuper gentem illam, dicit Dominus,*

Primum teſtimonium Ieremiæ explicatur.

iniquitatem eorum, & ponam illam in ſolitudines ſempiternas. Et cap. 50. *Capta eſt* Babylon, *confuſus eſt* Bel, *victus eſt Merodach, confuſa ſunt ſculptilia eius, ſuperata ſunt* Idola *eius. Quoniam aſcendit contra eum gens ab Aquilone, quæ ponet terram eius in ſolitudinem, & non erit qui habitet in ea ab homine vſque ad pecus.* Quæ niſi hyperbolicè interpretemur, vt pleraque alia paſſim in ſcriptura, à mendacio non poſſunt vindicari. Quis enim in hiſtoria ſeu ſacra, ſeu profana, adeo peregrinatur, vt ignoret, Babylonem obſeſſam diu à Perſis tandem & Medis ſub Cyro captam quidem fuiſſe; ſed non euerſam? Cæterùm de ſolitudine & vaſtitate dicendum quid ſit, poſtremo videbo, illud nunc in Ieremia accipiam, quod perſpicuum eſt, numerum ſcilicet annorum ſeptuaginta non opponi excidio, non ſolitudini, non ſtupori, ſed vni ſeruituti. *Et ſeruient,* inquit, *omnes gentes iſtæ* Regi Babylonis *ſeptuaginta annis.* Fore aſſerit, vt omnes illæ regiones, & gentes Babylonici Regis dominium patiantur ſeptuaginta annis; eíſque elapſis vindicatum iri; ſeruire cœperunt illo ipſo anno; ſic enim 4. Reg. 24. I*n diebus eius aſcendit Nabuchodonoxor* Rex Babylonis, *& factus eſt ei* Ioa*chin ſeruus tribus annis.* Et nos ſeruitutis initium aliunde ſumemus? & dicemus, gentes illas ſeruire cœpiſſe nouendecim annis, poſtquam ſeruire cœperant? Equidem fateor me hominem ingenij obtuſioris percipere non poſſe iſta myſteria.

Quæ gentes ſeruituræ eſſent Regi Babylonis 70 annis.

20. At dicunt, initium annorum ſeptuaginta ſumi debere non à principio ſeruitutis Hebræorum tantum, ſed à principio ampliſſimæ illius Monarchiæ, quam Nabuchodonoxor obtinuit toto orien-

te deuicto; hoc enim sibi velle, aiunt, verba illa, *omnes gentes istæ*; Monarchiam verò illam amplissimam, & vniuersalem, qua, si Manetoni credimus, complexus est quicquid terrarum & marium est in Asia, Africa fere tota, & aliqua parte Europæ, coincidisse cum clade Ierosolymorum in Nabuchodonoxori annum xix; inde propterea annos istos numeratos fuisse. Si tamen Ieremiam, scriptorésque cæteros paulò accuratius scrutari velimus, neque in omnibus illis gentibus reperiemus omnes gentes, quas Rex ille subegit, neque earum Monarchiam in 19 Nabuchodonoxori, neque demum vniuersarum, quibus conflata est, gentium seruitutem definitam septuaginta annis.

21. Eo capite Propheta solis vaticinatur Iudæis, sic enim exorditur. *Verbum quod factum est ad* Ieremiam *de omni populo* Iudæ. De Iudæa ergo, & de Iudæis dicit: *Et adducam eos super terram istam, & super habitatores eius, & super omnes gentes, quæ in circuitu illius sunt.* Propterea quum paucis interiectis continuata oratione subiecit: *Et seruient omnes gentes istæ* Regi B*abylonis septuaginta annis*; Gentes alias non intellexit, nisi quas paulò ante expresserat, Iudæ, & quæ Iudæam suis finibus circuibant. Illas nimirum, quæ eam partem terræ Chanaam occupabant, quæ tempore clerurgiæ in decem alias tribus dispertita, Iudæam circumcingebat in hasce distincta regiones, Idumæam, Samariam, Galilæam, Peræam, Paneadem, Thraconitidem, Gaulanitidem, Auranitidem, Batanæam, Abilam. Quicquid gentium his in regionibus fuit, cum tota Iudæa Nabuchodonoxor sceptris

Iudæa, & finitimæ nationes.

adiecit suis anno Regni sui primo, quando profligato exercitu Necaonis Ægyptiorum Regis, qui his gentibus domitis, vsque ad margines Euphratis victricia arma traduxerat, eum intra ostia Pelusii ita conclusit, vt inde deinceps pedem non extulerit, 4. Reg. 24. *Et vltra non addidit Rex Ægypti, vt egrederetur de terra sua: Tulerat enim Rex Babylonis à riuo Ægypti vsque ad fluuium Euphratem omnia, quæ fuerant Regis Ægypti.* Hæ ergo gentes sunt illæ, quæ sunt in circuitu Iudeæ, de quibus Ieremias dixit: *Et seruient omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis.* Et certè quum aut de his omnibus, quas ego dixi, gentibus, aut de omnibus, quas postea subiecit Nabuchodonoxor, vt volunt alij, Prophetam explicare necesse sit, si de omnibus simpliciter intelligi non possit, nemo non concesserit, de gentibus istis interpretari debere. Age ergo videamus, an possit.

Non aliæ, quas subegit Nabuchodonoxor.

22. Ægyptum serò quidem debellauit Nabuchodonoxor, sed debellauit tamen post solutam obsidionē Tyri, quod docet, qui tunc viuebat Ezechiel cap. 29. *Factum est in vicesimo & septimo anno, in primo, in vna mensis. Et factum est verbum Domini ad me dicens. Fili hominis Nabuchodonoxor Rex Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus Tyrum: Omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus est, & merces non est reddita ei, neque exercitui eius de Tyro pro seruitute, qua seruiuit mihi aduersus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonoxor Regem Babylonis in terra Ægypti, & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet spolia eius, & erit merces exercitui illius, & operi, quo seruiuit mihi aduer-*

sus

ſus eam, dedi ei terram Ægypti, pro eo quod laborauerit mihi, ait Dominus Deus. Et afflixit hæc clades totam Ægyptum, ſic enim eodem cap. Ezechiel ver. 10. *Idcirco ecce ego ad te & ad flumina tua, daboque terram Ægypti in ſolitudines gladio diſſipatam à turre Syenes vſque ad terminos Æthiopiæ.* Ægyptum ergo Nabuchodonoxor aggreſſus non eſt, niſi ſolutâ obſidione Tyri; hanc non ſoluit ante 31 Regni ſui, ergo non ante trigeſimum primum ampliſſima, & vniuerſalis illa Monarchia orta erat. Immo 27 à capto Iechonia, qui erat trigeſimus tertius Nabuchodonoxori, nondum Nabuchodonoxor Ægyptũ inuaſerat, ſed ex Ezechiele erat inuaſurus adhuc; quare ante 33 Nabuchodonoxori Chaldæorum arma Monarchiam illam non pepererunt. Non ergo cladis Iudæorum, qui quatuordecim annis ante diſperierant, & ortus Monarchiæ Chaldæorum idem initium.

Adde poſtremo, cladem Ægypti ſupremam contigiſſe poſt regnum Ephreæ, quem Herodotus & Diodorus Aprien, ſeptuaginta Vaphreæ dixere; hoc enim ſignum futuræ internecionis, & ſeruitutis Ægyptiorum dederat Deus Ieremiæ cap 44. ver. vlt. *Et hoc vobis ſignum, ait Dominus, quod viſitem ego ſuper vos in loco iſto, vt ſciatis, quia verè complebuntur ſermones mei contra vos in malum. Hæc dicit Dominus: ecce ego tradam Pharaonem Ephree Regem Ægypti in manu inimicorum eius, & in manu quærentium animam illius, ſicut tradidi Sedeciam Regem Iuda in manu Nabuchodonoxor Regis Babylonis inimici ſui, & quærentis animam illius.* Quod quomodo contigerit, prolixè narrat Herodotus lib. 2. Cladem, quam intulit Ægyptiis Nabuchodonoxor anno Regni ſui primo, incidiſſe in Re-

gnum Necaonis Ægyptiorum Regis, ſcribit teſtis oculatus Ieremias cap.46. Poſt Necaonem Herodotus regnaſſe prodidit Pſamin annis ſex, & poſt hunc Aprien annis 25: quare etiamſi Necao periiſſet anno primo Nabuchodonoxori, & Ægyptus capta fuiſſet eo ipſo anno, quo Apries interiit, ante trigeſimum primum Nabuchodonoxori Ægyptum non ſubieciſſent Chaldæi. At Ieroſolymam iam euerterant eius Regis anno 19, non ergo omnes gentes cum Iudæis miſſæ ſub iugum.

23. Sed quid quærimus argumenta? non fuiſſe diffinitam omnibus gentibus ſeruitutem annorum ſeptuaginta, verbis diſertis ſcripſit Ezechiel cap.29. *Daboque terram Ægypti deſertam in medio terrarum deſertarum, & ciuitates eius in medio vrbium ſubuerſarum, & erunt deſolatæ quadraginta annis, & diſpergam Ægyptios in nationes, & ventilabo eos in terras: Quia hæc dicit Dominus Deus, poſt finem quadraginta annorum congregabo Ægyptum de populis, in quibus diſperſi fuerant, & reducam captiuitatem Ægypti*, &c. Quando ergo Ieremias dixit, *Seruient omnes gentes iſtæ* Regi *Babylonis ſeptuaginta annis*, de illis loquebatur, quas ego dixi, non de aliis, quæ non niſi multò poſt excidium Vrbis ſanctæ in Chaldæorum poteſtatem ceſſere, eorum Monarchiam ſuis quidem ſtruentes ruinis, ſed annis ſeptuaginta non duraturam.

Seruitus Ægypti diffinita 40 annis, non 70.

24. Non ſunt prætereunda hic Scaligeri errata duo, quæ apertè pugnant cum verbo expreſſo Dei. Libro 2. Iſagogicorum aſſerit, expeditionem Syriacam Nabuchodonoxori incidiſſe in annum tertium Vaphreæ Regis Ægypti. Incidiſſe tamen in regnum Necaonis, diſertè ſcribit viuens & videns Ieremias

Duo errata Scaligeri contra Scripturam.

cap.46.initio. *Quod factum est verbum Domini ad Ieremiam prophetam contra gentes. Ad Ægyptum aduersum exercitum Pharaonis* Necao *Regis Ægypti, qui erat iuxta fluuium Euphratem in Carcamis, quem percußit* Nabuchodonoxor *Rex Babylonis in quarto anno* Ioachin *filij* Iosiæ *Regis* Iuda.

Alterum erratum est, quod regnum Amasis cum Græcis continuat Regno Vaphreæ, eúmque annis 44 regnasse scribit; nulla interregni quadraginta annorum seruitutis Babylonicæ habita ratione, quod an in Christiano homine ferendum sit, viderit lector.

25. Venio ad alterum quod obiicitur Ieremiæ testimonium cap.29. Iudæi, quos cum Iechonia captiuos duxerat Nabuchodonoxor anno octauo, inanibus Pseudoprophetarum verbis lactati, negligentius quàm oportuisset curabant res domesticas, quotidie in patriam se dimissum iri sperantes. Ad quos scripsit Ieremias epistolam, quæ habetur citato capite, & hæc inter cætera: N*on vos seducant prophetæ vestri, & ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis, quia falso illi prophetant vobis in nomine meo, & non misi eós, dicit Dominus. Quia hæc dicit Dominus: Cum cæperint impleri in* Babylone *septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, vt reducam vos ad locum istum.* Scribit hanc epistolam Ieremias anno Sedeciæ quarto, hoc est septennio integro ante excidium vrbis, expectaréque captiuos iubet, vsquequo compleantur septuaginta anni, quibus elapsis, illos liberatum iri, prædicit; & nihilominus viri docti annos septuaginta tunc non excurrisse contendunt. Ecquis, obsecro, sanus dixerit vnquam; ex- *Secundum testimonium Ieremiæ.*

pecta hîc quousque compleatur decennium, si decennium iam non excurreret, tempusque quo id diceret, iam labenti decennio non annumeraretur? labi cœperant septuaginta anni ab anno primo Nabuchodonoxori, tuncque sexaginta ferè ad eorum finem supererant, quos expectari iubet Propheta, vt toti septuaginta compleantur. Nec tamen sequitur, annos septuaginta inchoatos fuisse à captiuitate Iechoniæ, vt Scaliger putat; non enim dicit Deus, quum vos implere cœperitis in Babylone septuaginta annos, sed absolutè, *quum impleri cœperint in Babylone* (siue) *Babyloni septuaginta anni*, vt vertunt Septuaginta; illi nimirum, quos imperio Babylonis præstituerat Deus.

Tertium testimonium 2. Paralip.

26. Tertium testimonium, quod cæteris fortius vrgere videtur, est 2. Paralip. cap. vlt. de excidio vrbis sanctæ sub Sedecia: *Si quis euaserat gladium ductus in Babylonem, seruiuit Regi & filijs eius, donec imperaret Rex Persarum. Vt compleretur sermo Domini ex ore Ieremiæ, & celebraret terra Sabbatha sua. Cunctis enim diebus desolationis egit Sabbathum vsque dum complerentur septuaginta anni.* Annis Sabbathicis Hebræi neque metebant, neque vindemiabant, sed agros suos incultos abire sinebant, quare neque à prima, neque à secunda captiuitate septuaginta annorum initium sumi posse videtur, sed à clade suprema, postquam spoliata cultoribus terra, vsque ad primum Cyri sabbathizare coacta est; quod septennio Ioachimi, & nouem primis annis Sedeciæ non contigerat, quum Hebræi alta pace fruentes, lanceas in falces, & gladios in aratra vertissent. Auget difficultatem Daniel, qui cap. 9. *Ego Daniel intellexi*, inquit, *in libris numerum annorum*,

de quo factus eſt ſermo ad Ieremiam prophetam, vt complerentur deſolationis Ieruſalē ſeptuaginta anni. Quum enim vrbs deſolata non fuerit, niſi ſub Sedecia, à caſu Sedeciæ annos ſeptuaginta Daniel numeraſſe videtur.

Nihil tamen plus ponderis habent duo hæc teſtimonia, quàm alia priora duo, vt oſtendam, explicato quid ſit deſolatio, & deſolare, quid agere Sabbathū.

27. Deſolare, ſi vim verbi ſpectemus, & vſum, non eſt ſimpliciter deſtruere, euertere, & ad nihilum redigere, vt quidam exiſtimant; ſed ſi Grammaticos audias, abducere cultores de ſolo. Quo certe ſenſu Virgilius in XI dixit, *Quid ſit deſolatio.*

---Sat funera fuſi
Vidimus, ingentes & deſolauimus agros,

Deſolauimus, ſiue auxilia contrahentes, ſiue cæſi; nam etiam auxiliares copias agros deſolare ſuos, dum illos deſerunt, alibi idem Poëta cecinerat,

---Vndique cogunt
Auxilia, & latos vaſtant cultoribus agros,

in quibus reliquerant certè ſenes, pueros, mulieres, & partem etiam aliquam virorum. Sic Darius Perſarum Rex de exercitu ſuo apud Q. Curtium lib. 4. *Ventum eſt eò, vnde pulſis ne quidem locus eſt, omnia tam diutino bello exhauſta poſt tergum ſunt. Non incolas ſuos Vrbes, non cultores habent terræ.*

28. Nec diſſimilis vſus verbi שָׁמֵם apud Hebræos, etſi enim interdum totale exterminium ſignificat, non raró tamen ſumitur pro ingenti aliqua calamitate. Regum 1. c. 5. & 6. Dominus immiſſo Azotiis morbo in ſecretiora naturæ, magnam eorum partem interfecit; *Aggrauata eſt autem*, inquit textus ſacer, *manus Domini ſuper Azotios* וַיְשִׁמֵּם ad verbum, &

desolare fecit eos. Regum 2.c.13. Thamar compressa ab Amnon vi, *mansit* ושממה *desolata in domo Absalon fratris sui.* Isaiæ 54.1. *Multi filij* שוממה *desolatæ magis, quàm eius, quæ habet virum.* Quod si vidua, & violata desolatæ dicuntur, quia magnam iacturam perpessæ, si Azotum desolatum; quia indigenarum pars magna perierat; si Latinorum agri desolati, quia copiæ auxiliares inde deductæ; quis eam vrbem, etiamsi stet, desolatam negauerit, quæ ter obsessa sit, ter capta, & ante Sedeciam tribus priuata Regibus Prophetis, Sacerdotibus, nobilitate, milite, artificeque omni nudata, auaritiæ, libidini, sæuitiæ, impietati barbari & sacrilegi militis toties obiecta fuerit? Mala, quæ Vrbs sancta pertulit vice prima sub Ioachimo, scriptura sigillatim non prosequitur; sed ea tantum, quæ vice secunda sub Iechonia. qua ait, ablatos fuisse omnes thesauros cum Regis, tum templi, fracta vasa sacra donaria Salomonis, ductos in captiuitatem Regem, matrem, vxores, filios, Iudices, Eunuchos, Principes, Duces, milites, artifices, & demum *nihil relictum exceptis pauperibus populi terræ.* 4. Reg. 24.14.

Per nos igitur liceat aliter sentire cuilibet, nobis certe Ierosolymæ desolatio cœpit anno primo Nabuchodonoxori; consummata fuit decimo nono, durauit ad primum Cyri, ab initio ad finem annis septuaginta. Hæc de desolatione, nunc de Sabbathis.

Quid sit terram agere Sabbathum.

29. Necao Ægypti Rex interfecto Iosia Rege Iuda, regnum eius inuasit, vinctóque, & in Ægyptum translato Ioachaz filio defuncti, cui regnum à Iudæis delatum fuerat, Ioachimum eius fratrem Regem substituit, & imposita graui pecuniæ mulcta toti Iudææ, in Ægyptum recessit. Anno Ioachimi

quarto Syria in potestatem Chaldæorum concedente, Iudæa ab exercitu Nabuchodonoxori noua & ingentia mala perpessa fuit. Ab anno Ioachimi septimo,quo rebellauit Chaldęis,vsque ad XI,quo decessit,Syrorum, Ammonitarum, & Moabitarum assiduis incursionibus vexata perpetuam sustinuit vastitatem. Anno insequenti, redeunte exercitu Chaldæorum contra Iechoniam, summis calamitatibus, & ærumnis fuit oppressa. Nouennio demum pòst cladem illam extremã accepit à Chaldæis. Toto hoc tempore ad aliarum miseriarum cumulum accesserunt tres anni Sabbathici, quibus eam ex lege colere fas non fuit. Et agros paucis annis toties vastatos,toties incultos hyperbolicè perpetuum quoddam Sabbathum egisse,non dicemus? Hyperbolem, velimus nolimus,admittere nos cogit Ieremias, qui cap. vlt. ver.16.asserit, post excidium Vrbis relictos ibi fuisse agricolas, & vinitores: & cap.40. Godoliam eos sic alloquentẽ inducit:*Colligite vindemiam, & messem, & oleum, & condite in vasis vestris.* Hoc verò certè non est agere Sabbathum. Iam ergo connexione nostra hoc etiam ex capite confirmata, huic dissertationi colophonem imponamus.

30. Quartus annus Ioachin filij Iosiæ Regis Iuda fuit primus Nabuchodonoxori, seu Nabopollassari Regis Babylonis, ergo fuit etiam centesimus quinquagesimus primus Iphyti, quum in hunc annum Iphyti incidat initium Regni Nabopollassari ex Ptolemæo. A quarto anno Ioachim filij Iosiæ retexe annos 151 in Chronologia Regum Iuda, primum Iphyti reperies in tertio anno Ioatham Regis Iuda, atque hunc in modum rectè colligaueris Chrono-

Connexio annorum sacrorum cum olympicis.

logiam Olympi adum cum sacra.

Cæterum, quia, vt diximus, Nabuchodonoxori primus concurrebat cum tertio, & cum quarto Ioachimi, rectius initiũ 151 Olympici collocatur in tertio quàm in quarto Ioachimi, & rectius cõsequenter Iphyti primus in secundo quàm in tertio anno Regis Ioatham, vt subiecta annorum Regum Iuda summa retro numerata, & collecta docet.

Ioachim	an. 3
Iosias	31
Amon	2
Manasses	55
Ezechias	29
Achaz	16
Ioathan	16
	152

Postremo detrahendus est de Regno Ioachim annus vnus, vt vtriusque Chronologiæ summa concurrat.

Scaligeri & Ægyptij error in hac connexione.

31. Scaliger in Isagogicis constituit Olympiadum primam in 38 Azariæ Regis Iuda, qui regnauit annis 52, Ægyptius in 37, illis igitur irrepsit error annorum sexdecim, & septemdecim. Qui tamen tantumdem errant, ex eclipsi Xerxis, & aliis, quæ per Olympiadas sparsæ sunt, annos suos sacros, eorúmque menses & Cyclos eruunt, instituunt, metiuntur, &, quod suauius est, ex hac statione contra Ecclesiam Catholicam demonstrationes, & eas quidem, si Deo placet, potissimas nudo capite iaculantur.

FINIS.

APPROBATIONES.

LIbrum, cuius titulus eſt, F. Marci Antonij Cappelli Franciſcani Conuentualis de Cœna Chriſti ſuprema, déque præcipuis vitæ eius capitibus diſſertatio aduerſus Ægyptium authorem anni primitiui, iuſſu Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Felicis de Caſſia ordinis Min. Conuentualium Vicarij Generalis Apoſtolici, legi; ipſúmque pro ingenij diuinitus conceſſi modulo, ab omni labe, quâ fidem, quâ mores proſequitur, defæcatum, ad Eccleſiaſticas de Eccleſiæ Capite traditiones ſtabiliendas temporum, & hiſtoriæ nexibus firmiſſimis compactum, diuinæ ac humanæ doctrinæ omnigena eruditione, & elegantia refertum, & planè dignum, qui ſtudioſis antiquæ ac modernæ lectionis ſacræ manibus teratur, iudicaui. Romæ, die 7. Februarij 1625. vel ſi vult author 1631.

F. MATTHÆVS VEGLENSIS
ordinis Min. Conuentual.
ſocius & Aſſiſtens.

NOS Frater Felix Franciſchinus de Caſſia Art. & S. Theol. Doctor, Vniuerſi ordinis Min. Conuentualium S. Franciſci Vicarius Generalis Apoſtolicus, Cum opus de Cœna Chriſti ſuprema, déque præcipuis vitæ eius capitibus ab admodum Reuerendo Patre Magiſtro Marco Antonio Cappello eiuſdem ordinis concinnatum, admodum Reuerendo Patri Magiſtro Matthæo Veglenſi, noſtro ordinis ſocio, & Aſſiſtenti examinandum dederimus, illiúſque atteſtatione nihil vel S.R.E. vel noſtræ Seraphicæ Religionis Decretis aduerſum eo in opere adeſſe compercrimus, illud ſeruatis ſeruandis in lucem edi poſſe concedimus. Romæ in ædibus SS. duodecim Apoſtorum die 7. Februarij 1625.


FRATER FELIX DE CASSIA
Vicarius Generalis Apoſtolicus.

MAndante Reuerendissimo S. P. A. Magistro, legi auream hanc dissertationem R. P. M. M. Antonij Cappelli de Cœna Christi suprema, aduersus illum Ægyptium, qui nuper aquam turbidam, quam in via Ægypti biberat, fidelibus populis rependere conatus est, & cum elogio puritatis, Nihil reperi aut fidei aut rectis moribus aduersum: quin potius ita omnia constare mihi visa sunt, vt præ singulari eruditione, pietate insigni, robusta etiam agendi ratione pro vindicanda S. R. E. antiquitate & traditione, dignus omnino sit liber qui communem lucem aspiciat, maximo litterariæ Reipublicæ emolumento. Romæ XI. Kal. Martias M. DC. XXV.

F. NICOLAVS RICCARDIVS. S. T. M. & Regens Collegij S. Th. sup. Mineruam.

Imprimatur, si videbitur R^mo P. M. S. Pal. Apostolici
A. Episcopus Hieracen. &c.

Imprimatur. Fr. VINC. MARTINELLVS Mag. & socius R^mi Magistri S. Pal. Apost.



INDEX.


T

V

ERRATA.

Pag. 7. lin. 1. *à feria V.* lege, *à Christo feria V.* pag. 32. li. 3. *coniuncta* lege, *coniunctum*: pag. 40. li. pen. *Fuit*, lege, *fuit*, & dele interpunctionem antecedentem. pag. 77. li. 2. *& cum*, lege, *& eum*. pag. ead li. 5. *morata*, lege, moratum. pag. 79. lin. 4. *Casi*, lege, *casi* pag. 80. corrigendus paginæ numerus. pag. 92. corrigendi numeri huius paginæ, & sequentis. pag. 107. li. 24. *Seueri. Alexandri* abesse debent interpunctio, & spatium. pag. 109. lin. 28. *Augustorum*. lege, *Augustaorum* pag. 115. li. 4. *aitebamus?* delenda est nota interrogationis. pag. 146. li. vlt. *quum*, lege, *quem*

sunt & nonnulla leuiora, & alia forsitan, quæ nostros fugerunt oculos, quæ lector facilè emendabit.


VITTORIO
EMANUELE